DE

QUARTO PROPERTII LIBRO

Dissertatio

quam

Imperatoria Venia impetrata
Permissu Amplissimi in Alexandrea Fenniae Universitate
Philosophorum collegii

Praeside

Doct. J. J. VILHELMO LAGO,

Cancellariae Consiliario, Litterarum Graecarum Professore P. O.,
Ordinum Imperialis Regii S. Stanislai secundae classis et Imperialis
S. Annae tertiae classis Equite,

honores philosophiae doctoris petens

defendet

Mag. RICHARDUS VOIGTIUS,
Consiliarius Aulicus,
in Imperatorio Historico-philologico Instituto Petropolitano
Latini sermonis Praeceptor,

in auditorio philos. die III mensis Aprilis A. MDCCCLXXII.

h. a. m. s.

Helsingforsiae,
ex officina Frenckelliana, 1872.

Multisne futurum sit ut operae pretium videar fecisse, quod quartum Propertii librum ab iis, qui disiungendo transponendo tollendo his temporibus eum perturbarunt, studuerim defendere, nec satis scio neque, ut dicam quod sentio, vehementer curo. Illorum quidem certe scio me non vitaturum reprehensiones, qui Propertium emendare ut putant quam vel intelligere vel explicare ac, si quid non statim satis intelligunt, non tam ut intelligant eniti quam circumcidere et detorquere malunt. Ac melius fortasse erat quae hic tentata essent silentio praeterire, ut in aliis scriptoribus multa multorum similia conata merito contemnuntur, nisi Propertius et unius magni nominis auctoritate et multitudine et quasi factione emendatorum quos se ipsi volunt esse premeretur. Postquam enim anno huius saeculi sexto decimo Lachmannus, abiectis iis, quae Scaliger olim novaverat, et in multis optime de Propertio est meritus et tamen alia immerito ipse novavit: non tantum, quae ille excogitarat, a plurimis editoribus praeter Hertzbergium servata sunt, verum mox alia etiam novantium tanta exorta est multitudo, ut iam difficillimum sit omnes omnium suspiciones percensere. Nos nunc et illa mittemus, quae in singulis vocabulis mutata sunt, ubi non pauca feliciter emendata non negamus, et si quae graviora in superioribus libris tentata sunt: ultimo nos libro, qui hoc tempore maxime omnium est vexatus et totis versibus aut sublatis aut transpositis elegiisque disiunctis continebimus.

Nam anno huius saeculi sexagesimo tertio Heimreichius in Quaestionibus Propertianis (Bonnae 1863.) praeter alia etiam huius libri elegiam tertiam attigit; anno sexagesimo quarto Bootius (Bydrage to de kritik en verklaring van Propertiu's laatste

elegie. Door J. C. G. Boot. Amsterdam, van der Post. 1864.) extremae elegiae ordinem mutavit; anno sexagesimo quinto et idem Bootius edidit, quae de eadem elegia scripta reliquerat Hofmann-Peerlkampius (S. Aurelii Propertii libri IV. elegia XI. Recensuit et illustravit P. Hofmann Peerlkamp. Edidit et praefatus est J. C. G. Boot. Amstelodami, apud C. G. van der Post, 1865), et Eschenburgius de prima elegia scripsit (Observationes criticae in Propertium. Bonnae 1865.); anno septimo et sexagesimo rursus Heimreichius (Novae Quaestiones Propertianae in fasciculo posteriore Symbolarum philologorum Bonnensium. Lipsiae 1867, pag. 667. 11.) cum singulos nonnullos locos tractavit tum totum librum a Propertio abiudicavit. Denique anno undeseptuagesimo Luettiohannes in Commentationibus Propertianis (Kiliae) praeter alia multa hoc etiam de libro satis multa scripsit, et Caruttius in praefatione editionis totum librum praeter ultimam elegiam non esse Propertii demonstrare conatus est (Sex. Aurelii Propertii Cynthia cum libro quarto elegiarum qui Propertii nomine fertur. Editio novum in ordinem digesta recensente Dominico Carutti. Hagae Comitum 1869). Nonnulla transposuit etiam Lucianus Muellerus (Catulli Tibulli Propertii Carmina. Rec. et praefatus est Lucianus Mueller. Lipsiae 1870), qui quidem Lachmanni viam non reliquit, ceterorum tamen delicias paene omnes a sua editione abstinuit. Eiusdem beneficio non necesse habemus contra Bootium et Peerlkampium dicere, quos ille (Jahrbücher für Philologie und Pädagogik, 95, p. 413. ss. et 777 ss.) tam accurate et subtiliter refutavit, ut si verbum adderemus acta agere videremur. Ac similiter ea argumenta, quibus Heimreichius ultimum librum a Propertio conatus est abiudicare, satis elevata sunt a Luettiohanne; minus accurate, quae a Caruttio prolata sunt, de quibus ille omni iam libro typis expresso pauca extremo loco apposuit. Itaque nos de auctore quarti libri cum Caruttio, de transponendis vel tollendis versibus cum ceteris praeter Bootium et Hofmann-Peerlkampium rem habebimus; si prius, quoniam quartum librum diximus, hoc

ipsum defenderimus, cur quartum cum libris manuscriptis et Hertzbergio quam quintum cum Lachmanno vocare maluerimus. Hanc enim librorum divisionem cum et editores praeter Hertzbergium paene omnes acceperint et qui historias scripserunt literarum Romanarum probarint, si quis veterem illum ordinem praefert, aperiendum, cur ita faciat, videtur.

Lachmannus, cum ex altero qui fuit libro duos facit, quorum priorem nona elegia concludit, has tres rationes sequitur. Primum intercidisse aliquot Propertii carmina eo coniicit, quod et memorentur nonnulli Propertiani versus a veteribus scriptoribus, qui nunc nusquam reperiantur, et in altero libro nonnulla carmina parum inter se apta sint et connexa. Deinde II, 50. Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis — negat locum habere nisi in capite libri Augusto dedicati. Postremo quod est in II, 13, 25. Sat mea, sat magna est, si tres sint pompa libelli, — tribus libris nondum confectis non potuisse dici arbitratur. Ex quibus argumentis primum ex parte elevatum est ab Hertzbergio (Quaest. Propert. p. 211. ss.). Quod enim Fulgentius De prisco sermone n. 34. in dividiae hunc versum Propertio tribuat — Dividias mentis conficit omnis amor, — id nullius esse ponderis eo docet, quod idem Fulgentius in verbo catillandi eidem auctori haec tribuat verba: Catillata geris vadimonia, publicum prostibulum, — quae manifesto alius scriptoris sint. Poterat addere, nullam omnino auctoritatem esse Fulgentii; de quo L. Lerschius (Fulgentius de abstrusis sermonibus. Bonnae 1845. p. 78.) haec scribit: Wir haben die Frage zu entscheiden, ob eine grenzenlose Nachlässigkeit und Vergesslichkeit in jenen fabelhaften Erklärungen, Büchertiteln, Fragmenten ihr wunderliches Spieltrieb, oder ob ein absichtlicher Betrug jenem Gewebe von Halbwahrem, Falschem, Wahnsinnigem zu Grunde liegt. Idem Hertzbergius vere ait, quod ad Verg. Ecl. V, 21: in Servii qui dicitur commentariis haec verba — testes sunt sidera nobis — Propertiana dicantur, id spectare ad Prop. II, 9, 41. Sidera sunt testes et matutina pruina; — quodque idem Servius ad Georg I, 19.

*

habeat: Alii Triptolemum, alii Osirin volunt, quod magis verum est, ut dicit Propertius vel Tibullus; — id ad Propertium plane non spectare, sed ad Tibulli I, 7., 29. Primus aratra manu sollerti fecit Osiris; denique quod Ovidius Trist. II, 461. praecepta amatoria Propertii commemoret (Invenies eadem blandi praecepta Properti): non artem iustam et praeceptionem, sed praecepta per omnia eius volumina dispersa dici, sive ea in exemplis consistant, sive, ut in lenae oratione (IV, 5.) formam etiam praeceptorum referant. Ac profecto vel huiusmodi vera praecepta passim reperias, velut I, 10, 21. s. Tu cave ne tristi cupias pugnare puellae, Neve superba loqui, neve tacere diu cet., quae si dispersa colligas, non difficile sit ex Propertianis versibus alteram quamdam artem Ovidianae similem colligere. Quod autem Lachmannus nonam elegiam et tertiam decimam ex binis non consentaneis partibus putat conflatas, id quidem Hertzbergius concedit (pag. 218. s.), quamquam non coniicit idem propterea excidisse aliquot carmina, sed post mortem auctoris alteram partem unius elegiae ante carmen 10., alteram post carmen 13. illatam atque utramque cum antecedente sibi elegia coaluisse existimat: nos nihil perturbationis agnoscimus, sed utriusque elegiae et nonae et tertiae decimae omnes inter se partes rerum et sententiarum continuatione putamus contineri. Ut enim a nona elegia ordiamur: quid tandem est cur haec inter se non cohaereant:

37. Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam,
    Tela, precor, pueri, premite acuta magis,
Figite certantes atque hanc mihi solvite vitam:
40. Sanguis erit vobis maxima palma meus.

et 41. ss. Sidera sunt testes et matutina pruina
    Et furtim misero ianua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius unquam:
    Nunc quoque eris quamvis sis inimica mihi.
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto:
    Solus ero, quoniam non licet esse tuum.

Lachmannus, Haec quidem cum superioribus, inquit, non sane nimis bene coeunt. Illic enim desperat amator, puellae infideli cedit, Cupidines se omnibus spiculis ita ut prorsus pereat configere iubet: nunc repente solum ac viduo toro victurum sese promittit. Quae Hertzbergius adeo, ut verbum addere longum sit, sibi probari profitetur. Omnis igitur res in affectibus vertitur; vere illa disputantur, si aut nullae eorum vicissitudines iisdem carminibus exprimuntur aut certe is qui hic cernitur ordo et series affectuum esse non potest: sin iidem affectus alibi quoque eodem ordine alter alterum excipient, hic etiam locus omni reprehensione vacabit. Sed universe disputare de sensuum atque affectuum varietate iam supervacaneum est. Etsi enim olim in hac etiam ut in multis sine causa haesit Hofmann-Peerlkampius, cum Horatii carmina depravare conatus est; postquam Naegelsbachius de ea disputavit ad Hor. C. I, 37. (*) et eandem rationem Doederlinus ad Hor. C. II, 13. adhibuit: quis dubitet, quin ut motus illi animorum maxime adumbrentur ita carmina praestantissima et perfectissima existimanda sint? Nam neque animi unquam humani ita quieti ac potius torpidi sunt ut nihil moveatur, neque habitus eorum carminibus vere referuntur, nisi variis sensibus ornantur et distinguuntur. Videamus igitur de hac elegia singillatim. Perfida es Cynthia, inquit Propertius (1. 2.), contra ac Penelope et Briseis (3. 18.), tam perfida, ut nec brevissimum tempus vaces (19, 20.), nec quid deceat quaeras (21. 22.),

---

(*) Münchner Gelehrte Anzeigen 1842. N. 183. S. 437. Drittens wünschen wir von den Auslegern in den Oden dasjenige schärfer ins Auge gefasst, was wir uns erlauben die lyrische Handlung zu nennen. Wir verstehen darunter den Wechsel und Fortschritt der Stimmung, die Bewegung und den Verlauf der Gefühle des Dichters. Es bleiben sich diese in vielen Oden nicht gleich; es geht innerhalb des Liedes etwas vor. — Et mox: Das Vorhandensein oder Fehlen dieser lyrischen Handlung muss relevant werden für die höhere besonders ästhetische Kritik des Dichters; denn wenn wir uns auch durch letzteres nicht sofort bestimmen lassen, eine Ode für unächt auszugeben, so wird doch der Werth einer solchen minder hoch anzuschlagen sein cett. — Döderlein, Reden und Aufsätze, 2. Sammlung. Erlangen 1847, pag. 221, ss.

atque et perfidum amatorem petas (23. 24.) et meam fidem negligas (25 — 28), et si abessem turpiora etiam committeres (29. 30). Sic dum in perfidia amicae versatur, proprii damni dolore imbutum esse apparet, qui quidem increscit dolor, quo magis illam verbis amplificat, mox autem in indignationem transit, ubi (35 — 36) eandem ab omni sexu muliebri perfidiam committi animo proponit; unde cum ad suam calamitatem revertitur (37 — 40), et cedere fortunae constituit et in iustam desperationem descendit. Sed in hac desperatione tanquam sua se virtute involvit et non sine tristi quadam voluptate in sua fide quam et servarit et sit servaturus contemplanda versatur(45—46), qua cogitatione ipse se aliquantulum consolatus ultionis acerbam voluptatem animo praecipit, cum prius tranquillior aemulo subitam mortem optat, deinde maiore odio incensus eius mortem sua se morte libenter redempturum declarat (47 — 52). Haec maxime omnia apta inter se et connexa esse et per se est perspicuum et aliorum carminum similitudine facile demonstrari potest. Sed mittimus cetera, de quibus nemo dubitavit: at quam apte versus 41. superiores excipiat hoc est gravissimo documento, quod ubicunque Propertius de sua fide loquitur, praeterquam in ipso initio carminis III, 15., prius de perfidia et inconstantia, et praeter II, 20, 13. et II, 7, 7., ubi a se perfidiae crimen defendit, et praeter II, 25, 9., ubi de aliarum rerum inconstantia est locutus, ubique de aliena perfidia disputat. Quos locos hic non gravaremur exscribere, nisi post iisdem ad IV, 7. opus esset: nunc numeris notasse satis habemus: IV, 7, 51. III, 25, 3. II, 21, 19. 24, 33. 39. 17, 17. 9, 25. 41. 8, 13. 6, 41. I, 19, 5. 18, 11. 15, 29. 12, 19. 11, 21. 8, 21. Nec semper eodem pacto a perfidia ad fidem transit; saepe simpliciter, interdum per moderationem quamdam animi et ignoscendi clementiam, at plane similis transitus est in II, 17, 17 s.

15. Nunc iacere e duro corpus licet, impia, saxo
Sumere et in nostras trita venena manus. —

17. Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

In elegia 13. quam levis sit causa disiungendi facile cernitur ex dissensione disiungentium. Lachmannus enim novam elegiam incipit a vs. 17.

Quandocunque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe quae serves funeris acta mei —

quam usque ad exitum perducit, neutrum autem cur faciat accuratius exponit: Hertzbergius (Quaest. Prop. p. 99.) a prioribus seiungit vss. 43. ss., quod qui modo sua conditione adeo contentus fuerit, ut vel post cineres alia uti se velle negaret, idem nequeat continuo vitam suam exsecrari quaque hora lucem aspexerit eam flebiliter detestari. Sed, ut ad rem ipsam veniamus, quibus Lachmannus versibus novum carmen orditur, iis antecedunt ii quibus vulgi opinionis contemptio declaratur ceterisque omnibus amicae amor antefertur:

13. Haec ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula: nam domina iudice tutus ero.
Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Jovis.

Hinc autem quam apte transeatur ad funus amicae mandandum, Tibullus est indicio, cuius in I, 1 a vs. 57. haec sunt:

Non ego laudari curo: mea Delia, tecum
Dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.

At Hertzbergius vix haesisset in his versibus:

43. Atque utinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quaevis de tribus una soror!

Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
Nestoris est visus post tria saecla cinis.
Cui tam longaevae minuisset fata senectae
Gallicus Iliacis miles in aggeribus! —

si vs. 45. ss. satis considerasset, quibus Nestor si maturius obisset magnam calamitatem non visurus fuisse dicitur. Inde enim elucet Propertium, postquam et vitam declararit omnem amori deditam et funus suum si quando futurum esset mortuique memoriam amicae commiserit, idcirco se iam pridem mortuum cupere, quod si parvulus esset mortuus Cynthiae amorem sepulturaeque curam amittere non posset. Nam aliter et cur Nestor memoretur intelligi vix poterit, et cur vs. 51. Propertius ipse se tanquam consoletur: Tu tamen omisso nonnunquam flebis amico. Sic enim spe fidei perfidiae timori occurrit; quem timorem a Propertio non esse alienum confirmatur initio I, 19.

Non ego nunc tristes vereor mea Cynthia Manes —
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore.
Hic timor est ipsis durior exequiis.

Si quis autem contra dicat, qui in cunis esset mortuus, eo ipso Cynthiae amorem perditurum fuisse, eum de ceratinae solutione admonemus. Neque enim quae non perdidimus habemus, neque quae non habemus possumus perdere. Quis autem non videat nunquam habendi multo faciliorem quam perdendi esse rationem? Sed ne ab hac quidem elegia is timor est alienus. Nam quidquid dicit Hertzbergius: qui pectus suum innumerabilibus spiculis transfixum ait (v. 1.), qui mox (v. 13.) dicit: Haec ubi contigerint, — non: quia contigerunt — et: si forte bonas ad pacem verterit aures, — non: quod vertit: is non sorte sua quam qui maxime contentus est, sed magis optat id quo caret quam id jactat quod habet. Quae si ita sunt, qui extremo carmine metus declaratur, non ibi novus inducitur, sed retentus prius et coercitus aliquando erumpit. — At quis unquam, ne

quid amitteret, ut antequam haberet mortuus esset optavit? — Optat hoc Medea apud Ovidium Her. XII, 2. ss.

Tunc quae dispensant mortalia fila, sorores
  Debuerunt fusos evoluisse meos.
Tunc potui Medea mori bene: quidquid ab illo
  Produxi vitae tempore poena fuit —;

optat ibidem XI, 21. Canace:

O utinam Macareu quae nos commisit in unum
  Venisset leto serior hora meo! —,

optant alii etiam multi, quos proferremus, nisi rès apertissima documentorum copia citius obscuraretur quam illustraretur.

Vidimus primi argumenti Lachmanniani, quod ex perditis quae putat carminibus Propertii et ex perturbato quem statuit libri secundi statu repetitur, non magnam esse firmitatem. Sed ei argumento ne illi quidem, quibus quinque pro quatuor libris placent, multum tribuunt. Teuffelins certe in historia literarum Romanarum (Geschichte der Römischen Literatur von W. S. Teuffel. Leipzig. 1870) p. 448. hoc omisso reliqua tantum duo profert. Quorum si verum quaerimus non major vis est. Ut enim iam ad tres illos libellos veniamus; aliud l i b e r est aliud l i b e l l u s; quod discrimen attigit Brunnerius in illis quae de Catullo scripsit (De ordine et temporibus carminum Catulli scr. E. a Brunér. In Actis Societatis Scientiarum Fennicae tom. VII. pag. 603). Huic voci, inquit, quae in versu 8 (C. I.) iteratur, interiorem illam libri notionem, significationem scripti operisve, subjectam ideo putare non licet, quia in v. 2. species libri externa commemoratur et idcirco ad eandem in priore versu ambo libelli epitheta referenda sunt. Atque ille quidem de Catullo loquitur: Propertius autem qui quinquies libellum dicit nusquam ita dicit pro libro, ut certum numerum singularum elegiarum in unum volumen redactum simulque editum complectatur; certe nusquam necesse est eam vim huic voci subiiciamus, at est ubi nullo pacto possit esse subiecta. Nam quod dicit I, 11, 19.

Ignosces igitur si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri —

id cum in eo dicat libro quem et primum et singularem edidit, non dubium est quin nihil nisi singulas elegias dicat. Atque idem cadit in III, 2, 15.

Fortunata meo si qua est celebrata libello!

quae verbo proximo pentametro ipse explicat:

Carmina erunt formae tot monimenta tuae.

Nam et universe loquitur hexametro, cum si qua dicat, et parum est verisimile, quamcunque laudet, toto libro laudaturum, et si carmina totidem formae sunt monimenta, unumquodque carmen ad fortunam et famam eius quae laudatur constituendam satis valet. Item cum II, 25, 3. Ista meis, inquit, fiet notissima forma libellis, — quis sibi persuadeat non carmine magis quam certorum librorum ordinem et divisionem dicere quasi quidquam attineat quomodo illa digesta et ordinata sint? Denique quod I, 9, 13. ad Ponticum scribit:

I quaeso et tristis istos compone libellos
Et cane quod quaevis nosse puella velit —

ibi quin ipsa poemata epica, non libros in quos distribuantur dicat extra omnem dubitationem positum videtur. Qua Lachmannus vi accipit libellum, ea Propertius librum dicit: II, 3, 4. Et turpis de te iam liber alter erit — et II, 24, 1. Tu loqueris cum sis noto iam fabula libro Et tua sit toto Cynthia lecta foro. Quamquam ceteris duobus locis ubi usurpatur haec etiam vox latius patet similiusque libello dicitur: II, 1, 2. Unde meus veniat mollis in ora liber — et IV, 7, 50. Longa mea in libris regna fuere tuis. Atque eodem modo volumen dicit II, 1, 6. Hoc totum e Coa veste volumen erit. Aliorum poetarum minus constans est usus libelli. Sunt libelli libri, ut Ov. Trist. V, 1, in. — Hunc quoque de Getico, nostri studiose, libellum Littore prae-

missis quatuor adde meis — aut in iis, quae Amorum novae editioni praemissa sunt: Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli Tres sumus.—Sed tamen hi quoque singula carmina libellos appellant, ut Ovid. Trist. IV, 1, 1. Si qua meis fuerint ut erunt vitiosa libellis — Ep. ex P. I, 1, 3. Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos excipe — IV, 2, 3. Cuius adhuc nomen nostros tacuisse libellos Si modo permittis dicere vera pudet — 12, 1. Quominus in nostris ponaris, amice, libellis — Ib. 5. Nec quemquam nostri nisi nos laesere libelli — Horat. Epist. I, 13, 4. Ne studio nostri pecces odiumque libellis Sedulus importes. — Ut paucis complectar: ex aliorum consuetudine tres libelli possunt esse tria carmina, ex Propertiana consuetudine non facile possunt esse aliud. Nec magis quidquam ex tribus promi potest, quo alterum librum in duos dividendum efficiatur. Triplici enim modo ternario numero utitur Propertius, ut fere omnes aut scriptores aut poetae tamen. Primum proprie, ut tres res dicat, quia in rerum natura sunt totidem: II, 13, 44. Iussisset quaevis de tribus una soror — cf. 46. Nestoris est visus post tria saecla cinis — III, 11, 35. Tres ubi Pompeio detraxit arena triumphos — ib. 15, 7. Tertius haud multo minus est cum ducitur annus — ib. 18, 23. Exoranda canis tria sunt latrantia colla. IV, 8, 35. Unus erat tribus in secreta lectulus herba. ib. 9, 10. Per tria partitos qui dabat ora focos. ib. 15. Maenalio iacuit pulsus tria tempora ramo Cacus; — ib. 10, 2. Armaque de ducibus trina recepta tribus; — ib. 45. Nunc spolia in templo tria condita. — Huic usui finitimus est alter, cum rursus proprie dicitur ternarius numerus, sed propterea quod sacer est numerus in religionibus:

III, 10, 4. Et manibus faustos ter crepuere sonos.

IV, 6, 30. nova flamma (Apollinis) Luxit in obliquam ter sinuata facem.

Ib. 8, 86. Terque meum tetigit sulfuris igne caput.

In quem numerum retulerim etiam III, 1, 28. Hectora per campos ter maculasse rotas — si quidem ea re tamquam parentalia

mortuo Patroclo instituuntur, ut. Il XXII, 13. (οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐΰτριχας ἤλασαν ἵππους) Achillis Achivorumque decursione. Sed praeterea aliquoties dicuntur tres nec religionis nec veritatis causa ad parvum quemdam numerum significandum:

I, 16, 13. Has mihi ter gravibus cogor deflere querelis;
II, 33, 22. Noctibus his vacui ter faciamus iter;
III, 7, 6. Obruis insano terque quaterque mari —
ib. 12, 15. Ter quater in casta felix o Postume Galla; —
IV, 6, 75. Terque lavet nostras spica Cilissa comas; —
ib. 10, 26. Nomentum et captae iugera terna Corae.

Atque idem usus est eius numeri apud alios, velut Horat. Sat. I, 6, 43. — at hic si plaustra ducenta Concurrantque foro tria funera, magna sonabit. Sat. II, 7, 9. Cum tribus anellis; — Epist. I, 15, 35. tribus ursis quod satis esset; — Ep. ad Pis. 300. Si tribus Anticyris caput insanabile numquam Tonsori Licino commiserit.; Ep. I, 1, 37. Ter pure lecto poterit recreare libello. Aliorum similia proferre exempla et facillimum et longum est. Quodsi ex iis etiam quae attulimus satis elucet cum alios tum Propertium tres pro nonnullis vel paucis dicere: quo quisquam iure neget tres illos libellos pro nonnullis libellis vel carminibus posse accipi?

Nunc ad tertium Lachmanni argumentum accedimus sumptum illud ex II, 10. (Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis), quod ille carmen negat alibi quam in capite libri Augusto dedicati poni potuisse, Hertzbergius Qu. Pr. p. 217. potuisse ibi poni negat, quia qui liber totus in amoribus celebrandis versetur, eius in principio iis ipsis amoribus renunciari non potuerit. Quam controversiam ut dirimamus, primum videamus, quomodo Propertius reliquos libros sit exorsus. Ac II, 1. Maecenati profitetur, quoniam totus sit in Cynthiae amore, si quidem posset epica poemata componere, eius se potissimum res egregias et Augusti esse celebraturum, quia autem id non possit, amorem canere. Idem III, 1., Alii, inquit, historias scribant Romanas: at ego

Callimachum et Philetam imitabor iisque imitandis et nomen immortale assequar et amicam delectabo. Idem IV, 1. de antiqua simplicitate urbis Romae Romanorumque locutus volentem se quidem facit sacra diesque canere, sed ab astrologo ad amatoriam elegiam revocari. At I, 1., etsi de carminibus suis non loquitur, tamen cum totum se et summo et infelici Cynthiae amore dicat teneri, hoc ipso facit, ut quae sint carmina secutura ostendat et quasi fontem eorum legentibus aperiat. Cum his quid commune habet II, 10., quo se primo ait relictis qui ineunti aetati conveniant amoribus Augusti castra velle canere, deinde quae iam sint effecta in Asia breviter celebrat deque iis quae instent in Asia victoriis plura pollicetur, postremo hoc ipsum parvulum carmen cum corona quae ad pedes magni signi deponatur comparat levitatemque eius infirmitate ingenii artisque suae excusat? — At ex tam paucis libris Propertii nulla potest coniectura fieri de omni genere, in quo huiusmodi carmina versantur. Videamus alios poetas, ut quisque maxime aut tempore aut ingenio et arte ac genere carminum illum attingit! Utque ordiamur ab eo, qui quantum poterat homo diversi ingenii plurimum illum secutus est, Ovidius Amor. I, 1. a bellis celebrandis se tradit ad amatorias elegias a Cupidine revocatum; Amor. II, 1. hunc quoque librum iussu Amoris amantibus scribere, Gigantomachia, ut magis elegiis amicae sibi gratiam compararet, relicta; III, 1. cum inter tragoediam et elegiam paullisper suspensus fuerit, nunc quidem elegias scribere perseverare, mox tamen ad tragoediam transiturum. Idem Trist. I, 1. illi libro praecipit, ut externa specie sordida carminibus tristis argumenti artisque parvae sine gloriae studio Romam veniat, ut a plebe, sed, si commode possit fieri, etiam ab Augusto legatur; III, 1. insequentes elegias tristissimi argumenti neque ullius externi splendoris non publicis bibliothecis Romanis sed privatis lectoribus destinat; IV, 1. vitia ejus libri miseris suis temporibus, quibus ad consolandum se scripserit, excusat; V, 1. haec carmina propter fortunam suam tristem ipsa etiam tristia esse

et ad se consolandum scripta declarat. Nec dissimilis est prima Epistola ex Ponto, qua ad Brutum scripta negat has epistolas nec publicis bibliothecis constitutas nec nominibus additis eorum ad quos scriptae sint ullum periculum afferre, quia et laudes Augusti et suae culpae confessiones contineant. Nam Ep. ex P. II, 1., qua Germanico Augusti triumphum congratulatur propriumque triumphum praedicit; III, 1. qua uxori et miserias suas describit et ut ab Augusto per uxorem eius veniam sibi impetret committit; IV, 1. qua S. Pompeio pro summis in se meritis agit gratias, initia magis quam exordia vel praefationes librorum esse apparet, ut etsi primo quoque loco sunt positae, alium tamen quemvis locum non minus commode obtinere possint. Atque idem fere de Tibullo licet dicere praeter III, 1., qua ille elegia hunc librum Martiis Calendis lauto ornatu ad Neaeram ire suumque amorem testari iubet — nam Tibulli nunc brevitatis causa dico quae eius feruntur, etsi nec tertium nec quartum librum ab eo alienum esse negaverim; — nisi forte ille I, 1., ubi se non divitias bello petere, sed rusticae vitae paupertatem Deliae amore ornatam ceteris omnibus anteferre declarat, quo in genere omnia carmina sint posita indicare videtur. Quod enim II, 1. agrorum lustrationem peragit, id alio omni loco pari iure poterat facere; Messalae autem laudatio et ab auctore insequentium carminum aliena videtur neque, ut sit eiusdem auctoris, cum iis ullo pacto cohaeret. Rursus Catullus primo carmine, sive id totius libri, sive, quod magis verisimile est, cum Osanno (ad Apul. p. 52.), Leutschio (Philolog. X, 735.), Brunnero (l. l. pag. 602. ss.) brevioris libri postea in eum quem nunc habemus recepti exordium fuisse existimamus, et externam libri speciem attingit et Cornelio cur eum dedicet aperit et ut diu maneat optat. Venimus ad Horatium. Qui C. I, 1. cum aliis alia sequentibus se lyrici poetae nomen ait appetere, genus suorum carminum aperte demonstrat; tectius idem fortasse II, 1. cum a Pollionis historiis ipsisque bellis civilibus ad leviora argumenta Musam avocat, atque etiam tectius IV, 1., si quidem et alienum

a sua aetate et voluntate amorem profitens et tamen se invito erumpere ne a reliquo quidem libro amatoria abesse carmina leviter indicare est existimandus. Epodon primum, quo se non praedae causa, sed propter metum et curam Maecenatis paratum ait eum in bellum comitari, ex ipsis temporum rationibus elucet non eo consilio scriptum, ut librum inciperet; cur primo loco poneretur haec fortasse causa erat, quod non incommodum videbatur a fautoris commemoratione librum incipere. Nec secus videtur de Sat. I, 1., qua Maecenatem affatus ridicule secum pugnare homines ostendit, cum nec sua quisquam sorte contentus sit nec tamen eam si possit fieri mutatam velit, cumque in usum futurum ea corradant quibus nunquam utantur, imminuere metuant quae nisi consumantur nihil prosint, parvis naturae necessitatibus vel paucis satisfieri, hominum existimationem quae pecuniae pariatur non tanti esse, amorem ea non parari parum intelligant, contraque eos errores modum esse in rebus praedicat. At Sat. II, 1. et scribere se profitetur quod non possit non scribere, et satiras, non Augusti laudes, quod his non par sit, illis tanquam armis suis utatur, neque cum Augusti benevolentia tutus sit quemquam metuere; Epist. II, 1. Augusto se atque aequales poetas contra veterum nimios admiratores defendit quodque eius laudes non celebret ingenii sui imbecillitate excusat; Epist. I, 1. Maecenati se exponit ad pristina carmina frustra revocari, quia iam philosophiae virtutique studeat. Persius, ut iam eos qui longius a Propertio distant, memoremus, iis quos satiris suis praemisit Hipponacteis non poetam se sed semipaganum praedicat; Iuvenalis prima satira cur scribat et quid et de quibus scribat commemorat. Poteram addere de Phaedro et Martiale, si quid novi apud eos cerneretur: sed ex iis quae protuli satis est perspicuum, quibus carminibus poetae singulos libros inducere soleant. Aut enim quae prima faciunt carmina nulla certa et perspicua causa in initiis collocant, aut si quae eiusmodi ratio cernitur, qui, quid, cui, unde, quomodo, qua causa, quo consilio scribant vel non scribant profitentur, utique

autem tum apertius tum tectius ea quae sequuntur carmina attingunt. Quorum omnium nihil est in ea de qua dicimus elegia. Nam quod appellatur Augustus, id tam late patet tamque multis est in carminibus alius loci ut nihil inde possit coniici: quod autem carmen forsitan proxime ab eo abesse videatur, dico Horat. II, 1., id si verum quaerimus nihilominus vehementer differt. Etsi enim utrumque in serio gravique argumento dissimilique consequentibus carminibus versatur, Horatius tamen cum extrema stropha ab ea gravitate ipse se revocat reliquorum carminum diversum genus significat, Propertius plura et graviora pollicitus paucaque eius generis in praesentia aggressus horum ipsorum satis habet levitatem excusasse, ut omnis eius cogitatio hoc carmine contineatur, aliorum diversi generis poematum nulla usquam cernatur designatio. Quod si ab usitata consuetudine eorum quibus novi libri inchoantur carminum tantum differt haec elegia, quo iure contra libros manuscriptos contraque veterum editorum auctoritates novum ab eo librum inchoemus, cum praesertim ad eas auctoritates ipsorum veterum scriptorum accedant testimonia, quibus quatuor non quinque fuisse libros Propertii confirmatur? Unum quod Hertzbergius memorat (Qu. Prop. pag. 215) ipsius Propertii est, qui II, 24, in. Tu loqueris, inquit, cum sis noto iam fabula libro. Et tua sit toto Cynthia lecta foro; cuius si pondus Lachmannus eo elevare studet, ut alterum tertiumque librum simul editos dicat, id pro argumento affert quod ipsum indiget argumentationis. Alterum, quod primus Heimreichius memoravit (Quaest. Prop. pag. 32.) et post illum Lucianus Muellerus (Praef. ad. Propertii editionem XII. s.), est Nonii, qui in pag. 169. s. v. secundare hunc versum: Jam liquidum nautis aura secundat iter — aperte libro tertio, non quarto ascribit. Quem numerum etsi L. Muellerus docet facile potuisse una ex quatuor iota omissa existere, non tamen tam nihil codicum auctoritati tribuendum puto, ut vel consentientibus eorum testimoniis repugnemus. His igitur rationibus adducti et ultimum Propertii

librum quartum, non quintum vocavimus, et in versibus Propertianis laudandis ubique numeris Hertzbergianis utemur.

Nunc de auctore eius quarti libri contra Caruttium erit disputandum. Qui primum pag. XXXV. in ea dissertatione, quam de vita et carminibus Propertii ipsis elegiis praemisit, octavam elegiam et disiungit in duas partes, quarum unam Draconem Lanuvii, alteram Rixam inscribit, et utramque Propertio abrogat. At cur disiungat cum non verbo significet, quod diluamus vel refellamus nihil habemus; tantum memoramus, cum abfuisse Roma Cynthiam narretur, cur abfuerit aptissime videri ante aperiri, eumque rerum contextum defendi primo disticho:

Disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cum vicina novis turba cucurrit agris —

quod ille in initium novae quam facit elegiae transfert, ut sit ante vs. 27.

Cum fieret nostro toties iniuria lecto. —

Accedit, id quod Luettiohannes profert, ut quae priore parte narrantur eorum fiat mentio vs. 48.

Lanuvii ad portas hei mihi solus eram.

Abiudicat autem a Propertio priorem partem propter obscuritates, ut ait, et locutiones invenustas et coactas, alteram quod et quae narrentur a Cynthiae persona abhorreant et Lygdamum ex III, 5. Cynthiae servum fuisse constet, ut cur hic Propertii sit adiutor non intelligatur, et quod Propertius qui eques Romanus non fuerit, colla obliqua ad summum theatrum inflectere non potuerit vetari. Quas dicat obscuritates, cernitur ex iis, quae ad ipsum carmen adnotavit. Caeterum, inquit, sex versuum (3 — 8) sensus obscurus et implicatus est. At in reliquis quinque versibus ne haesitatum quidem video ab explicatoribus, quarto autem in versu etsi est haesitatum, satis tamen proclivis est explicatio. Illud enim

Hic ubi tam rarae non perit hora morae —

sic accipi oportet, ut non perit sit non frustra est, sed operae est pretium, hora tam rarae morae dicatur, quod et raro eo homines, scilicet in anniversario illo sacro, venire et cum venerint non diu, sed horam manere soleant. Nam sic dicitur perire ab Ovidio Rem. Am. 107. Si tamen auxilii perierunt tempora primi. Item haeret in vs. 23., ubi est sane aliquid corruptum in codicibus, de quibus Neapolitanus: Siriganam tacto, Groninganus: Serica nam capto — habet; id ipsum tamen pridem sic correctum est: Serica nam taceo volsi carpenta nepotis. De Cynthiae moribus rursus respondit Luettiohannes. Ac profecto, cuiuscunque eam ordinis fuisse existimamus — hoc enim jure ambigitur — neque ipsius nec saeculi illius ea erat sanctimonia, quae ab iis quae hic narrantur abhorreret. Atque idem Lygdamum commemorat vix unius Cynthiae sed etiam Propertii servum fuisse videri, collato III, 6., ubi hic illi libertatem promittit. Nobis res ita se habuisse videtur, ut ille Cynthiae dum adesset ministraret, domino tamen Propertio uteretur, qui cum opibus non admodum valeret absente illa in suum etiam usum eum adhiberet. Quod vero de theatro profertur, recte quidem Luettiohannes commemorat, cum mulieres in summo theatro sedere sint solitae, Propertium etiamsi non in quatuordecim ordinibus sederet, inferiorem locum obtinere potuisse: sed tamen non exploratum est eum non fuisse equitem. Quod nequaquam probatur iis locis, quos hanc in sententiam profert Hertzbergius (Quaest. p. 14.):

I, 6, 25. — quem semper voluit fortuna iacere; —
II, 24, 36. — quamvis nec sanguine avito

Nobilis et quamvis non ita dives eras.

II, 34, 56. — — cui parva domi fortuna relicta est,

Nullus et antiquo Marte triumphus avi. —

Nam iacere se ita dicit, ut se a publicis honoribus remotum significet: secures enim, quarum amico spes sit, suae fortunae opponit. Ac plane similia ipse de se praedicat Ovidius,—usque a proavis vetus ordinis heres, Non modo fortunae munere factus eques. (Trist, IV, 10, 7. s.):

Am. I, 3, 7. ss. Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina, si nostri sanguinis auctor eques,
Nec meus innumeris renovatur campus aratris—
A. A. II, 165. Pauperibus vates ego sum, quia pauper amavi;—

similia item Tibullus, cuius fortunae Propertii fortunam fuisse similem cernitur ex illa pertica, cuius mentionem facit IV, 1, 130.:

Nam tua cum multi versarent rura iuvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes. —

Quintam elegiam ut Propertii neget esse Caruttius movetur septima elegia primi libri Amorum Ovidii. Simili sunt factae, inquit, argumento, simili inventione, quamvis dissimili oratione et stilo, additque neutrum altero verisimile esse ita abusum, Cynthiam nusquam nominari, qui hic narretur rerum status eum in illam non cadere. Fateor; interest aliquid inter eam Cynthiam, quae cum mannis Lanuvium vehitur praetereuntium oculos animosque convertit, et hanc puellam quae cum turpi anicula in frigida pergula habitat. Sed neque illud quemquam fugit huiusmodi mulierum fortunam gravissimis vicissitudinibus obiectam esse, nec Cynthiam hic, non aliam significari exploratum est. Immo cum hoc quoque carmen ex metricis rationibus posteriore tempore scriptum videatur, plane non dissimile veri est Propertium ut olim discidii tempore cum vilibus rem habuerit ita tum rursus alieno amori servisse. Quid quod haec puella fortasse eadem est, quae, modo per viles inspecta est publica noctes, a qua V, 7. umbra Cynthiae eum teneri queritur? Argumentorum vero quem similitudo offendit, is se quae ratio et necessitudo inter elegiacos illius temporis poetas intercedat plane nescire

confitetur. Tanta causarum quae tractantur est communio, praesertim inter Propertium et Ovidium, qua de re olim disserui eo libello, quem inscripsi: De Amorum Ovidii et Propertii elegiarum similitudine (Jahresbericht der St.-Annen Schule. St.-Petersburg, 1861): Qui quod libellus in paucorum manus pervenit, non quidem omnia illa consilium est transscribere, at unum primum librum Ovidii ita persequemur, ut quae cuique apud Propertium respondeant brevissime ostendamus. Ut igitur Ovidius Am. I. 1. refert quomodo ab aliis poematis componendis ab Amore ad elegias sit revocatus, ita Propertius III, 3. idem sibi ab Apolline factum narrat; ut ille I, 13. de fide sua carminumque nobilitate apud amicam praedicat, ita hic II, 25. et III, 2.; ut ille I, 6. ianitorem ut se admittat adhortatur, ita hic I, 16. ianuam facit similes amantis querelas referentem; ut ille I, 9. amorem cum militia confert, ita hic II, 12. Amorem cum puero. Item alterius I, 12., alterius III, 23. de tabellis est. Lena vero quam promptum illis poetis argumentum fuerit inde etiam apparet, quod Tibullus quoque non ille quidem eius praeceptionem carmine complectitur, at tamen II, 6, 44. breviter conqueritur, I, 5, 48. pluribus detestatur atque elevare conatur.

Sequitur septima elegia, quam Caruttius et a Propertii moribus et a Cynthiae alienam ait esse. Neque enim illum probabile esse quam olim tantopere amasset eius funus prorsus neglexisse, neque huic quae de Subura narrentur esse consentanea. Quae contra rursus adhortandum videtur ne Augusti saeculum nostra consuetudine metiamur. Quid enim? quae Catullus de Lesbia, Ovidius de Corinna memorat, num ea honestiora? Sed in ista turpitudine vel morari diutius turpe est. Cur autem a funere Cynthiae Propertius abfuerit, num adeo difficile est rationem reperire? Quid si discidio facto vel nesciebat esse mortuam? Certe non tantula erat Roma, ut de talis morte mulieris vel invitus quivis audiret, nec dissimile veri est illum id secutum quod Ovidius praecipit Rem. Am. 619. ss., ut de industria omnem eius commemorationem atque admonitionem fugeret. Quod autem

alii se tam cito amori dedidit, id neque ab ipsius natura alienum statuas, si et IV, 8. et II, 23. conferas, nec pugnat cum iis quae idem Ovidius ibidem 441. praecipit, ut si quis desinere velit amare novum sibi amorem inveniat. Postremo addit Caruttius quae de aquis Stygiis dicantur ea et cum fabulis et cum iis quae extrema in elegia memorentur pugnare. At Cornelia cum de Styge nihil narret, quod pugnet cum hoc carmine dicere nihil potest; alios antem scriptores nec discrepare interdum de re tam obscura mirum est, nec tamen omnes discrepare facile ex iis cernitur quae pridem in commentariis ad hunc locum adnotata sunt: Sallust. Cat. c. 52. falsa existimans ea, quae de inferis memorantur, divorso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda atque formidolosa habere. Verg. Aen. VI, 540. Hic locus est partis ubi se via findit in ambas.

Primam elegiam, a qua alteram partem separat, de quo infra videbimus, item alteram, quartam, sextam, nonam, decimam cum Propertio abrogat, fundamentum totius argumentationis hoc facit, ut illa fragmenta sumat eius esse poematis, quo Fasti et, ut barbare ait, religionis Latinarum traditiones tractata fuerint. Quale poema neque ab ipso Propertio neque eo mortuo ab amicis esse editum ex eo coniicit, quod Ovidius nusquam eius mentionem faciat, quod ipse III, 3. non huiusmodi, sed epicum se poema narret attigisse, quod oratio a Propertiana differat multaque Ovidium imitantis vestigia praebeat, quod harum auctor elegiarum nec Latinas nec Graecas fabulas satis cognitas habeat. Cuius nobis argumentationis nec fundamentum nec ceterorum quidquam probat. Nam principio illud ipsum sine causa sumitur esse illa maioris cuiusdam de sacris et diebus poematis fragmenta. Quod qui sibi persuaserunt, Ovidii exemplo impulsi sunt, qui quod Fastos composuit, Propertium quoque simile poema si non absolvisse at inchoasse tamen existimarunt. Quorum luce clarius apparet quam vitiosa sit ratiocinatio. Similiter enim quispiam coniiciat, quod Ovidius artem amandi conscripserit, quae singulae elegiae huiusmodi praecepta contineant, eas similis maiorisque operis esse re-

liquias. Neque vero ex illis versibus quidquam argumenti duci oportet, quibus se Propertius in prima elegia sacra diesque cantaturum declarat; nisi forte eadem ratione Ovidium quoque Enniani generis poema tentasse existimes, quod in ipso Amorum initio, Arma gravi numero, inquit, violentaque bella parabam Edere. Illud potius animadverterent, Ovidium etiam et Amoribus illud de Iunonis sacro Faliscorum (III, 13) et Tristibus illud de Tomis carmen (III, 9) inseruisse; ut huiusmodi carmina vel singula constare nec pro fragmentis maiorum poematum accipienda esse intelligerent. Verum sit, ut volunt; scripserit vel inchoarit certe Propertius, quod nec perfecit neque attigit: tamen ne cetera quidem concedi oportebit. Cur enim Ovidius fragmenta talia memoraret, cum ipse non fragmenta sed magnum et continuum poema similis argumenti ederet? Ac cur Propertius, si erat aliquando epicum poema aggressurus, non poterat idem nihilominus ad Fastos scribendos animum applicare? Quamquam nos, ut diximus, neque illud verisimile putamus neque Ovidium ante Amores annales aliquos attigisse. Nam quae orationis premitur similitudo a Caruttio, cuius in documentum primam Propertii elegiam cum Ovidii Fastis et Arte Amandi comparat, ea maximam partem, ut rectissime dicit Luettiohannes, rerum similitudine atque argumenti continetur, quatenus autem verborum magis quam rerum est, tam late patet tamque omnes ad Propertii libros pertinet, ut aut nihil suspicionis moveat aut omnibus eius carminibus multa amputari oporteat, quae ab omnibus partibus tuta videantur. Quod quo magis appareat, eum ipsum locum Propertii, qui nullam unquam auctoris suspicionem movit cuiusque a primo vocabulo omnis liber primus nomen accepit, initium dico primae primi libri elegiae, cum Ovidii similibus versibus conferemus:

Pr. 1. Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.
Ov. Am. III, 11, 43. Perque tuos oculos qui rapuere meos.
Pr. 3. Tum mihi constantis deiecit lumina fastus —
Her. XI, 35. Erubui gremioque pudor deiecit ocellos.

Pr. 4. Et caput impositis pressit Amor pedibus —
Rem. Am. 530. Et tua saevus Amor sub pede colla premit.
Pr. 5. Donec me docuit castas odisse puellas —
Am. III, 14, 39. Tunc amo: tunc odi frustra quod amare necesse est.

Pr. 9. ss. Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Saevitiam durae contudit Jasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat et hirsutas ille videre feras.
Ille etiam Hylaei percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam:
Tantum in amore preces et bene facta valent.

A. A. II, 183. ss. Obsequium tigresque domat Numidasque leones.
Rustica paullatim taurus aratri subit.
Quid fuit asperius Nonacrina Atalanta?
Succubuit meritis trux tamen illa viris.
Saepe suos casus nec mitia facta puellae
Flesse sub arboribus Milaniona ferunt.
Saepe tulit iusso fallacia retia collo:
Saepe fera torvos cuspide fixit apros.
Sensit et Hylaei contentum saucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.

Sed satis exemplorum. Si autem horum similitudo qualiscunque videtur non minor est similitudine eorum, quae a Caruttio proferuntur, si in omnes fere Propertii elegias non pauciores versus Ovidii similes facillime possunt colligi: ne in quarto quidem libro ea similitudo mira videri debet. Accedit ut non pauciora Tibullo et Propertio communia sint, unde non illud efficitur, ut ea a Propertio aliena sint, sed ut elegiarum scriptorum eam fuisse societatem et communitatem appareat, ut res easdem vel verbis saepe iisdem exprimerent. Neque id mirum videtur tanta eorum coniunctione, quam Ovidius describit Trist. IV, 10, 45.

Saepe suos solitus recitare Propertius ignes Jure sodalitii qui mihi iunctus erat. — Restant fabulae ut de omnibus dictum sit. Ad quas Luettiohannes iure memorat Herculem a Propertio neutiquam narrari in Latio mortuum, sed vs. 61. (Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem Accipit) de adventu accipi oportere, Scyllis autem duabus confusis illum tutum esse Ovidii Vergiliique exemplis. Nam narrat ille quidem III, 19, 21. illam Scyllam, quae Nisum patrem prodiderit, Minoem adamarit, in navi vinctam poenas dedisse; idem IV, 4, 39. s. Quid mirum, inquit, in patrios Scyllam saevisse capillos Candidaque in saevos inguina versa canes—: sed Ovidius etiam, qui Met. X, in. Phorci filiae, Met. VIII, in. filiae Nisi fabulam exponit, idem Am. III, 12, 21. Per nos, inquit, Scylla patri canos furata capillos Pube premit rabidos inguinibusque canes, eosdemque paene versus redintegrat A. A. I, 331 s.; itemque Vergilius et Aen. III, 424—428. alteram Scyllam describit, et Ecl. VI, 74. ss. haec habet: Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates—, ubi cur Caruttius mendum latere suspicetur nulla est ratio. Hunc in modum cum poetae varient fabulas, ne Cacus quidem debet offendere, quem etsi nemo quod sciam alius tricipitem dixit, plures tamen diram eius faciem memorant, ut non mirum sit eam a Propertio tribus capitibus esse definitam.

Epistolam Arethusae Caruttius Heroidum imitationem vocat, cuius commentum ductum videatur ex elegia 12. l. III, qua Propertius derelictae Gallae Postumum arguat. Ubi hoce, inquit, praesens genus Noster tentare voluisset, formam novam et suam illi dedisset, nec tam moleste Ovidii vestigia pressisset. At cur huius potius auctor elegiae Ovidium imitatus putetur quam aut contra aut neuter neutrum? Certe relictae uxoris ad maritum epistola non tam insolens causa erat, ut non sua uterque sponte eam posset tractare. Quamquam id etiam factum est in poetarum consortiis, ut maior natu minoris exemplum sequeretur. Sed Lycotae et Arethusae nominibus Postumum illum et Gallam desi-

gnari, de quibus est III, 12, neque argumentis ullis demonstrari potest nec si posset esset documento auctoris alieni, si quidem nihil prohibet eosdem tum veris tum fictis nominibus appellare. Quae autem Ovidii dicat vestigia praeter eam quae causa simili continetur similitudinem nec Caruttius dicit neque alius facile dixerit.

Reliqua est primae elegiae pars altera, quam Caruttius a Propertio abiudicat, quia et repetantur quaedam ex aliis Propertianis Ovidianisque carminibus et nonnulla cum iis pugnent, quae ille alibi memoret. Ut enim hic dicatur:

Aversis Charisin cantas, aversus Apollo: —
  Poscis ab invita verba pigenda lyra —;

ita Propertium III, 3, 17, 22. dixisse:

Non hic ulla tibi speranda est fama, Properti —
  — Non est ingenii cymba gravanda tui —

at Ovidium (Fast. V): Aversis utinam tetigissem nomina Musis;

ut Prop. I, 22. extr. dictum sit:

Proxima supposito contingens Umbria campo
  Me genuit, terris fertilis uberibus —

ita hic: Umbria te notis antiqua Penatibus edit,
  Mentior? an patriae tangitur ora tuae —;

itemque illa: Scandentes si quis cernat de vallibus arces,
  Ingenio muros aestimet ille meo —

nimis esse similia Ovidianis versibus:

Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
  Moenia, qua campi iugera pauca tenent,
Quae tantum, dicet, potuistis ferre poetam,
  Quantulacunque estis, vos ego magna voco.

Sed ad similitudinem illam idem valet, quod supra diximus; quod autem patriam suam Propertius bis similiter indicat, id non

magis suspectum est, quam quod Ovidius diversis locis non dissimiliter se Sulmone oriundum declarat:

Fast. IV, 80. Sulmonis gelidi patriae, Germanice, nostrae —
Trist. IV, 10, 3. Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis.

Pugnare inter se putat illud:

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo
Matris et ante deos libera sumta toga —

et II, 24, 37. s. — quamvis nec sanguine avito
Nobilis et quamvis non ita dives eras.

Nam ex inferiore loco cerni Propertium equitem non fuisse; superiore significari equitem. Quam ad opinionem refellendam nos non id protulerimus quod Luettiohannes, horoscopum omnia exaugere, sed illud repetimus, quod supra diximus, Propertium non fuisse equitem nullis rationibus posse convinci. Praeterea tamen id etiam notandum, quod Hertzbergius (Quaest. Prop. p. 14.) docet, illis temporibus ius aureae bullae equestri ordini non fuisse reservatum. Nam Plinii loco qui in hanc sententiam laudatur (H. N. XXXIII, 4.) ille Asconii verba ad Ciceronis Act. II. Verr. I, c. 58. opponit, qui, Simul cum praetexta, inquit, etiam bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea. Quod vero Caruttius, quae Propertius alibi de otiosa sua vita narrat, pugnare putat cum vs. 139. s.

Nam tibi victrices quascunque labore parasti
Eludet palmas una puella tuas —

et cum 133. s.

Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo
Et vetat insano verba tonare foro —:

recte eum Luettiohannes negat hos versus intellexisse. Nam palmae non bellicae sunt sed amatoriae, vetatur autem Propertius

non id facere quod iam attigerit, sed quod nisi vetaretur susciperet. Atque eadem ratio est, cum

I, 22, 9. s. Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit terris fertilis uberibus —

discrepare indicat a vs. 125.

Scandentisque Asisi (Car. scribit: arcis) consurgit vertice murus.

Quis enim non videt supposito campo dativum esse aptum ex proxima, ut utrobique editus locus significetur? Nec maiore iure negat Caruttius Propertium ipsum se Romanum Callimachum appellare potuisse. Haec enim si qua est immodestia, certe non maior est quam monumentum aere perennius sibi vindicantis, quam ille Propertio permittit, nec leviora ea, quae alii multique poetae de sua gloria praedicant.

Sed contra ea, quae a Caruttio dicuntur, satis est dictum: nunc quae ab aliis in singulis versibus novantur consideremus. Prima igitur in elegia Eschenburgius Propertio vs. 33 — 36. derogat:

Quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae,
Et qui nunc nulli maxima turba Gabi,
Et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
Hac ubi Fidenas longe erat isse vias.

Sic enim — vias — cum omnibus libris manuscriptis scribendum putamus propter eum locum quem infra rursus commemorabimus I, 20, 18. Egressum longe Phasidos isse viam. Sed illius primum argumentum non contra eum quem nos hic ex Neapolitano attulimus versum 33, sed contra eum quem Lachmannus scripsit profertur:

Quippe suburbanae parva eminus urbe Bovillae —.

Negat enim longam syllabam in acuta arsi a Propertio potuisse elidi, quia eiusmodi elisio aut prorsus vitetur a poetis aut

certis legibus quae in hunc locum non cadant contineatur, hoc autem in libro leges prosodiacae religiosius quam in superioribus observentur. Praeterea haec affert. Offendere in priore disticho omissum verbum, quod erat vel erant facile ex reliquis verbis intelligatur nec stetit vel steterunt ex inferiore in superius distichon possit revocari, cum Bovillae etiamtum steterint, turba autem ad cives non ad urbem Gabiorum spectet. Deinde inepte dici Bovillas posteriore tempore fuisse suburbanas, olim non fuisse, cum certe tum quoque non multo remotiores fuerint. Tum Gabi pro Gabii offendere, cum praeter di pro dii, i pro ii, idem pro iidem in nominativis ii in i non cantrahatur, si Verg. Aen. VII, 631. (Ardea Crustumerique et turrigerae Antemnae) excipias, ubi metrica necessitate haec contractio defendatur, nec quidquam ex inscriptionibus ubi sint similes contractiones possit coniici. Denique offendere synaloephen in longe erat. Nam ne in altera quinarii parte longae brevem subiungerent poetas anxie cavisse, ac si tamen reperiantur aliquot exempla Catulli, Propertii, auctoris epistolae Acontii ad Cydippen (Ovid. Heroid. XX.), Ausonii, tamen nec Catullum, qui liberiorem usum sequatur, neque Ausonium, qui temporis sit posterioris, quidquam demonstrare; at quod in epistola Acontii (v. 178.) dicatur: certe ego salvus ero, pronomen ego saepissime omnium longae syllabae subiici, quodque Propertius II, 14, 18. dicat: nemo in amore videt, quantitatem nominativorum, adverbiorum, verborum in o desinentium non eiusdem ac ceteras longas esse naturae, sed illo iam tempore brevem ex longa fieri. Sic Eschenburgius: Cuius ad primum argumentum, quia non adversus codicum et Propertii verba sed adversus coniecturam Lachmanni directum est, nobis non contra ea quae ipse profert, sed contra eum quem sequitur Lachmannum disputandum erit. Hic in editione anni 1816. ad vs. 33. Interpretes Bovillas, inquit, minus suburbanas dici volunt, cum verborum collocatio postulat, ut urbe minus parva iungamus, quod absurdum foret. Quin Bovillae tum non minus, sed plane non suburbanae erant. Repone: Quippe suburbanae

parva eminus urbe Bovillae. Bovillas nunc suburbanas, tum parva urbe eminus fuisse indicat. Sed ut prima specie proclive sit minus cum parva coniungere, quod etsi sententia minus commendatur tamen ne ipsum quidem absurdum dixerimus: necessaria certe haec verborum coniunctio nequaquam est. Quid enim tandem videtur insolentius? Nempe inter nomen eiusque attributum positum vocabulum non ad haec ipsa verba sed alio referendum. At hoc ipsum habemus III, 13, 55, s.

Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
Nutrit in hospitio non Polydore pio —,

ubi genitivus ad scelus non ad auro refertur; item I, 3, 42.

Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheae carmine fessa lyrae —

ubi fessa cum fallebam, non cum ablativo carmine coniungendum est; item IV, 3, 53 s.

— raris assueta Calendis
Vix aperit clausos una puella Lares —,

ubi vix cuiquam in mentem veniat puellam Calendis assuetam existimare; item aliis locis, quos multos collegit Hertzbergius, Quaest. Propert. pag. 122. Quodsi hic ordo verborum reprehensione caret, multo etiam magis, ut iam ad Eschenburgium veniamus, verbum non omissum id quidem sed in altero disticho positum, etsi vis eius spectat ad utrumque. Similiter enim verbum et inducitur copulativa particula in inferiore subiecto et revocatur inde ad superius subiectum non solum a poetis ut a Tibullo I, 1, 17.

Quantum est auri potius pereatque smaragdi —

ab Horatio C. I, 30, 6. solutis

Gratiae zonis properentque Nymphae —;

verum etiam a Cicerone pro Cluent. 63, 177: quum iam tortor atque essent tormenta ipsa defessa. (Cfr. Naegelsbach, Lateinische Stilistik für Deutsche. 2. ed. 1852. § 167. 4. pag. 466). Sic autem si ad hexametrum priorem tacite addemus steterunt, ad pentametrum stetit eoque cum verbo minus suburbanae et maxima turba et infra patens pro praedicatis coniungemus, nec iam significabitur Bovillas Propertii aetate non fuisse, nec Gabios maximam turbam vocari mirabitur, qui civitatem multo magis civibus quam moenibus et parietibus contineri meminerit. Superlatio vero illa, qua posteriora Urbis incrementa indicabuntur, in poetae sermone qui raro hac figura caret nihil merito aut reprehensionis aut admirationis habebit. Venio ad Gabi, quod satis eo ipso Crustumeri defenditur, quod ex Vergilio Eschenburgius affert; quod si necessitate, ut ait, metrica excusatur, hic certe commoditas quaedam, ut ita dicam, metrica pro excusatione poterit adhiberi. Sed accedunt similes contractiones neque omnes ex inscriptionibus promptae nec tamen, si ex inscriptionibus propterea reiiciendae. Si enim in aliis rebus tantum iis tribuimus, ut ad earum exemplum scribendum esse existimemus, nihil sane est cur hac in re omnem iis auctoritatem detrahamus. Profert autem Corssenius (Ueber Aussprache, Vocalismus und Betonung der lateinischen Sprache. Leipzig 1859. tom. II, pag. 163.) ali, Neuius (Formenlehre der lateinischen Sprache. Stuttgart 1865. tom. I. pag. 98.) flovi (Sent. Minuc. 199. vs. 23.); fili (J. R. Neap. 1342. 1520. 1634. 1695. 2727. 2824. 5296. 5450. 6071.); Aegypti (Stat. Theb. 9, 847.), quod etsi fortasse dicit ad exemplum nonnullorum Homericorum locorum ad Aegy̆ptii media syllaba correpta posse revocari, haec tamen correptio nullis Latinis exemplis confirmatur; denique Fabi, quod in codice Puteano est apud Livium II, 46, 7. 49, 9. 50, 5. atque inde certe prioribus duobus locis receptum est a Weissenbornio. Itemque Deci ex Manilio affert Lucianus Muellerus in libro de re metrica. Restat alter pentameter, ut de omnibus Eschenburgii argumentis dictum sit. Ubi quod offendit

in altera parte longa vocalis ante brevem elisa, a qua elisione poetae fere semper se abstineant, nobis hoc ipsum genus argumentationis infirmum videtur. Si enim veteres constat his in rebus non certa quaedam praecepta quae nobis sint tradita sed aurium iudicium esse secutos, nos non id facere oportet, ut si plerumque normas quasdam videntur secuti, ad eas normas eos quoque locos dirigamus, ubi secuti non sunt, sed ut his ipsis locis nostram rationem et praeceptionem coerceamus et restringamus. Hoc quidem nobis eodem iure sumere videmur, quo nec si quod ἅπαξ εἰρημένον nec si qua obsoleta aut novata forma est tradita, necessario corruptum atque emendandum aliquid arbitramur: discrepantiis iis ibi tantum erit aliquid tribuendum, ubi cum aliis corruptelae documentis concurrent. At hic locus, etsi quibusdam visum est aliter, si verum quaerimus, nihil habet, quod merito suspicionem moveat. Sententia haec est: hac in parte, ubi erat ire sive ibatur Fidenas, longe erat ire — h. e. hac in parte Fidenas euntium longae viae videbantur. Hic nullam habet offensionem neque h a c δεικτικῶς ut aiunt positum ut h o c in vs. 1., ut h a e c in vs. 5., ut h i n c in vss. 31. 32., ut h u c in vs. 39.; nec verbum ex demonstrativo enunciato in relativum revocandum, quod similiter revocatur I, 15, 9. 10: (Nec minus Eois pectus variare lapillis Ut formosa novo quae parat ire viro) et II, 3, 9, 17. 19. (Nec me tam facies quamvis sit candida cepit — Quantum quod posito formose saltat Jaccho — Et quantum Aeolio cum tentat carmina plectro) et II, 20, 34. (Ultima talis erit quae mea prima fides) et III, 22, 21. (Nam quantum ferro tantum pietate potentes Stamus) vel apud Horatium O. III, 1, 37. (— sed Timor et Minae scandunt eodem quo dominus); neque e s t cum infinitivo coniunctum a Propertii consuetudine alienum est, quippe qui haec similia habeat: I, 20, 13. Ne tibi sit — durum — mentes et frigida saxa, Galle, neque expertos semper adire lacus —; II, 10, 21. Ut caput in magnis ubi non est tangere signis —; III, 3, 41. s. Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu Flare nec Aonium cingere Marte nemus —; nec denique l o n g e

ire vias mirum videbitur, si comparaverimus quod est I, 20, 17. s. Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo Egressam longe Phasidos isse vias. Nam pluralis numerus vias, cum quisquis Roma Fidenas iverit longe isse dicatur, hic se non minus recte habet quam in Argonautarum uno itinere singularis. Ergo ut eo revertamur unde discessimus, si cetera omnia satis se recte habent, ne in elisione quidem illa offendemus, immo ne si nullae quidem similes essent elisiones offenderemus. Nunc autem eae proferuntur ab ipso Eschenburgio. Ac mihi quidem etiam Catullianae elisiones (85, 2. sentio et excrucior — 91, 2. perdito amore fore — 97, 6. ploxeni habet veteris — 104, 2. in se habet egregiis) vehementer ad rem pertinere videntur, nisi forte putamus Propertium formas quasdam antiquiores ut mage potuisse servare, metricas licentias non potuisse. Utque alterum Propertianum exemplum II, 14, 18 (nemo in amore videt-) mittamus, quia *o* in exitu tertiae declinationis illo iam tempore coepta sit corripi: at quod exemplum est in Acontii epistola (vs. 178. certe ego solus ero), id quidem plane est in eodem numero, quod et epistola ea eiusdem fere temporis est et ibi quoque elisio incidit in exitum adverbii in *e* exeuntis. Nam et par ante parem vocalis facilius videtur elidi, neque *e* in adverbiis ita erat longa, ut nusquam corriperetur. Quae correptio etsi in longe nusquam reperitur (Neuius l. l. I. pag. 518. praeter benĕ et malĕ ex Plauto affert probĕ, ex Lucretio, Horatio, aliis supernĕ, ex Lucretio infernĕ, ex Ausonio infernĕ): intelligitur tamen longae *e* in adverbiis non eandem naturam et constantiam atque aliarum longarum syllabarum fuisse. Quae cum ita sint nec spurios hos versus existimabimus nec Luciano Muellero assentiemur in editione sua ordinem ita mutanti, ut superiorem pentametrum post alterum hexametrum, post priorem hexametrum alterum pentametrum hac in forma ponat:

Atque ibi Fidenas longa erat isse via.

Nam illud quidem ita efficitur, ut utroque disticho binae res si-

miles, uno duo oppida olim longius ab Urbe distantia, altero duo olim potentiora memorentur, etsi autem saepissime singula disticha rerum et sententiarum similitudine continentur, alibi tamen etiam Propertius contrariam rationem sequitur, ut priori hexametro posterior pentameter, priori pentametro posterior hexameter respondeat; ut I, 13, 29. ss.

Nec mirum cum sit Iove digna et proxima Ledae
  Et Ledae e partu gratior una tribus,
Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
  Illa suis verbis cogat amare Iovem.

Nam hic quoque e Iove orsus in Iovem desinit, mediis autem duobus versibus cum heroinis Cynthiam comparat. Ac similis res est etiam in I, 8, 27 — 30:

Hic erit: hic iurata manet. Rumpantur iniqui.
  Vicimus! assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
  Destitit ire novas Cynthia longa vias.

Ut enim medii duo versus laetitiam dicentis testificantur, ita primus et ultimus quid factum sit narrant. Sed mittamus iam hunc locum. Maiorem eidem carmini vim attulit Heimreichius (Symb. philol. Bonn. Fasc. poster. p. 667. ss.), qui cum pro vage in vs. 71. ex coniectura scripsisset mage, ab eo ipso versu novum statuit carmen incipere, quod cum superiore plane non cohaereret; quam sententiam amplectitur etiam Luettiohannes (pag. 23). Ac rationes ille has profert. Primum alucinantis esse superiora cum inferioribus ita coniungere, ut coniungant, cum dicant Propertium inchoato poemati de originibus Romanis sed abiecto postea iocantem alteram partem subtexuisse; deinde vss. 135 — 146. non horoscopi esse sed Apollinis; tum fata dicere non posse dici nisi qui vaticinetur; denique vagum Propertium non posse ita dici, ut sana sententia evadat. Quae contra ita disputabimus, ut a postremo argumento incipiamus.

Sed cur haereatur in vage nos aperte profitemur plane non intelligere. Vagus enim appellatur is, qui finibus aliquibus non continetur, sed eos transit. Ac proprie quidem accipitur localiter, velut ipse Propertius III, 11, 51. vaga dicit flumina Nili, quia non directa linea continentur, sed flexus suos et ambitus habent, et I, 20, 10. vagum fluminis hospitium, aut ut Horatius propter itinera et Herculem (C. III, 3, 9.) et Io (Ep. ad Pis. 124.) et mercatorem (ib. 117.) vagum appellat; sed transfertur ad multas res, nec semper aperte declaratur qui fines transeantur ut Hor. Sat. II, 7, 74. (Iam vaga prosiliet frenis natura remotis) aut Ep. I, 15, 28. (Scurra vagus non qui certum praesepe teneret), sed saepe hos ut ex serie copulaque rerum intelligant legentibus relinquitur. Sic ipse Propertius I, 5, 7. Non est illa, inquit, vagis similis collata puellis. Quo loco si dubium non est quin eae puellae dicantur, quae non suum quaeque virum certo perpetuoque amore amplectantur, sed ab uno ad alterum facile transeant: quid tandem est cur hic vagus non dicatur Propertius idcirco, quod ex sui orbe carminis excedat? Contrarium, sed in eodem positum genere est, quod Ovidius dicit Am. III, 1, 16. O argumenti lente poeta tui! — Verisimiliora de verbis fata dicere proferuntur. Nam me quidem aperte fateor nullum repperisse locum ubi ea verba non de vaticinantibus et rebus venturis usurparentur, praeter eos, ubi fata de morte essent accipienda, ut Ovid. Met. XI, 667. Ceyx mortuus vel Ceycis specie indutus Morpheus ad Halcyonem, Ipse ego, inquit, fata tibi praesens mea naufragus edo. Quamquam ita non ipsum dicendi verbum sed synonymon adhibetur. Sed ut ita sit, cur totum potius carmen dissolvamus quam unam vocem emendemus, cum praesertim ea emendatio admodum proclivis sit? Quid enim dicamus facere, qui sacra diesque canat et cognomina prisca locorum, nisi fastos condere? hoc autem quo nomine appellemus, quasi optionem nobis facit Ovidius in initio sexti libri Fastorum, ubi de simili libro vs. 3. facta canam, inquit, vs. 8. sacra cano, vs. 24. Cum placuit numeris condere festa tuis. Ex quibus tamen mi-

nime placet, quod, si non in Groningano, id quod dubium est, certe in deterioribus Italorum codicibus positum Hertzbergius recepit — facta, quod nomen simpliciter collocatum magis in epicum quam in id quod hic memoratur poema cadit. Nam Ovidius cum eo quem attulimus loco facta dicit, non dicit simpliciter; sed fictis opponit, quippe qui alteram versus partem hanc faciat: — sed erunt, qui me finxisse loquantur. Magis ad rem conveniunt sacra, quae recepit Jacobus, nisi forte officiunt eadem sacra in vs. 68. posita (Sacra diesque canam et cognomina prisca locorum); quamquam fata et sacra alibi etiam inter se commutata sunt, ut Ovid. Met. XIII, 154. olim scriptum erat: Sentitque sibi fera fata parari, at nunc scribitur: fera sacra. Maxime vero placent festa, quae quam conveniant sacris diebusque facile apparet, nec minus perspicuum est quomodo in fata converti potuerint. Si enim *s* litera ita erat scripta ut *e* literam attingeret et cum ea coalesceret, pro *a* litera accipi poterant, qui error eo erat proclivior, quo usitatius et notius erat illud fata dicere. Difficilius est contra alterum argumentum dicere, non quod eius tanta vis sit, sed quia quam velit eius vim esse Heimreichius parum liquet. Utrum enim vss. 135—146. Apollinis sint an horoscopi nihil ad rem. Nam cur Apollinis verba magi orationi interponi poterunt, si sola integrum carmen efficiet, sin cum superioribus coniuncta erit, non poterit? Sed tamen ne illud quidem perspicimus, cur ii versus Apollinis magis sint quam horoscopi. Hoc unum videmus rationem eius opinionis repeti ab at particula (135. At tu finge elegos); at in ea particula nihil est cur non eiusdem qui ante dixit sermo continuetur. Elegi enim opponuntur foro i. e. eloquentiae simulque iis omnibus quae non deceat tractare Propertium, quodque tu pronomen est additum, id hic non plus offensionis habet quam quod IV, 7, 23. (At mihi non oculos quisquam inclinavit euntis) mihi est positum post at, etsi non Cynthia alii homini, sed eiusdem immerita solitudo fido amori opponitur. Minime vero omnium intelligi potest, qua causa eae duae partes, quae versu 71. seiunguntur,

eiusdem carminis esse nequeant. Quae partes utrum eodem tempore an diversis temporibus scriptae sint, id neque ad rem attinet neque ullis rationibus convinci potest. Nihil enim affert Hertzbergius Quaest. Prop. p. 216., cum ait omnia vaticinantis modo edita omnes sales omnemque sanguinem perditura, si principium carminis post initium amoris aut post finem adeo scriptum esset. Quod si verum esset, de similibus omnibus carminibus, quibus se poetae ab uno ad alterum argumentum revocant, esset dicendum. Tantum vero abest, ut nobis cum Lachmanno (ad initium huius libri in eius editione) magis serio a principio agi videatur, quam ut haec cum insequentibus ab initio coniuncta fuerint, ut in ea ipsa re summum poetae artificium agnoscamus. Nisi forte Horatium etiam in altero epodo ad vitae rusticae laudationem, qua nulla unquam splendidior utque ita dicam magis seria scripta est, inferiorem quae est de Alfio partem posteriore tempore addidisse existimes. Sed diversis temporibus nequaquam opus est, ut unum esse carmen defendatur. Haec enim ipsa forma carminis, ut poeta a graviore causa ad leviorem revocetur, satis est frequens. Atque alibi quidem, quomodo id factum sit, narratur, velut Propertius III, 2. Ennianum se poema expertum ab Apolline, Ovidius Am. I, 1. a Cupidine se ab armis bellisque edendis narrat ad amatorium carmen avocatum. Alibi autem non narratur res, sed agitur; incipitur celebrari causa gravior, sed subito ab ea ad leviorem aut ipse se poeta revocat aut ab alio revocatur, ut Horatius C. II, 1. postquam Pollionis historiam belli civilis laudavit populique Romani miserias conquestus est, ultima stropha a neniis ad levius plectrum Musam revocat, C. III, 3. post iustitiae ac constantiae atque Augusti laudes, Quo Musa tendis? inquit, desine pervicax Referre sermones Deorum et Magna modis tenuare parvis. Atque eodem pacto hic res agitur non narratur, revocantis autem personam non ipse Propertius sed horoscopus sustinet. Utque genus ipsum carminis nihil habet offensionis, ita ne a loco quidem eo quem in summa huius libri obtinet alienum est. Ut enim earum quae

sequuntur elegiarum partim amatoriae sunt, ad quas tertia etiam et ultima non immerito referuntur, partim argumenta habent ex sacris fabulisque antiquis petita, eaque duo genera miscentur inter se et confunduntur, ut amatoriis elegiis alterius generis ordo elegiarum varietur et perturbetur: ita consentaneum erat toti libro quasi praefationis loco eam elegiam praemittere, quae utriusque generis esset particeps duplexque libri argumentum indicaret. Similiter etiam Horatius in eo carmine, quo tres priores libros induxit, et severa se et ludicra carmina scripsisse declarat, si quidem recte I. C. Jahnius (in disputatione de Horatii carmine primo, Stallbaumio munus praeceptoris ante quinque lustra susceptum gratulatur; Lipsiae 1845. p. 27. ss.) ostendit Deos superos et Polyhymniam de gravibus, Euterpen et Nymphas et Satyros de levibus carminibus esse accipiendas; nec dissimile est quarti libri carmen primum, quo cum et renunciet Veneri et tamen Ligurini erumpentem amorem exprimat, is liber sequitur, quem et edidisse propter laudes Caesareae domus a scholiastis traditur et tamen amatoriis rursus carminibus distinxit. Sed non satis habet Heimreichius quod unum erat carmen in duo disiunxisse: idem cum cetera huius libri carmina tum hoc carmen vel ut ipse vult haec duo carmina a Propertio abiudicat. Itaque de ceteris quidem, quae Luettiohannes satis defendit, ut ante significavimus, nihil dicemus: huius autem carminis cum alteram certe partem vel ille neget a Propertio compositam nobis defensio suscipienda videtur. Quamquam ad primum Heimreichii argumentum est iam responsum iis quae de genere carminis disputavimus. Quod enim ait id carmen rudiore quam Propertii arte esse compositum, id verum esset fortasse, si duae illae partes totidem essent integra carmina: nunc cum ambae eodem carmine contineantur, compositionem apparet nihil ab eo genere differre, quo et Propertium et alios usos esse poetas modo ostendimus. Quae autem in singulis verbis vel sententiis quosdam offenderunt, ea singulis emendandis aut explicandis posse tolli et vidimus iam cum contra Eschenburgium di-

sputabamus, et mox cum contra Luettiohannem erit dicendum rursus videbimus. Mirum vero alterum illud argumentum, quod negat versibus 121 — 126. quidquam afferri praeter ea quae I, 22, 3 — 10. narrata sint. Quod quale sit quo clarius perspiciatur placet hic utrumque locum proponere:

I, 22, 3 — 10. Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
Italiae duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives
(Sit mihi praecipue pulvis Etrusca dolor:
Tu proïecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo),
Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit terris fertilis uberibus.

IV, 121 — 126. Umbria te notis antiqua Penatibus edit.
Mentior? an patriae tangitur ora tuae,
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo
Et lacus aestivis intepet Umber aquis,
Scandentisque Asisi consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Quivis facile videt superiore carmine nihil aperiri nisi in ea parte Umbriae quae ab agro Perusino non longe distaret et in edito quodam loco natum esse Propertium, in altero eam patriam aut, si Asisi cum Luciano Muellero vel cum Hertzbergio Asis scribitur, nomine proprio, aut tamen Mevanatis agri et Clitumni propinquitate, si Italorum inventum arcis praefertur, definiri. Fortasse ibidem familiae splendor significatur, si quidem Penates notos de nota familia licet accipere. Quamquam cum alibi quoque Penates de patria dicantur, ut I, 22, 1. (Qualis et unde genus, qui sint mihi, Tulle, Penates) Auson. Praefatiunc. Syagrio 33. (Thessaliam Thebasque suos habuere Penates), ne hic quidem quidquam obstat quin patriae famam indicari putemus. Ergo nec quae pugnent inter se sunt in his locis, ut prius contra Caruttium docuimus, nec quae plane sint eadem. At tan-

tumdem fere de sua patria duobus locis tradit Ovidius, qui postquam Am. II, 1, 1.

> Hoc quoque, inquit, composui Pelignis natus aquosis —

Am. III, 15, in. haec addit:

> 2. Quos ego composui, Peligni ruris alumnus —
> 5. Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
> Non modo militiae turbine factus eques.
> 8. Pelignae dicar gloria gentis ego.
> 11. Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
> Moenia, qui campi iugera parva tenent,
> Quae tantum, dicet, potuistis ferre poetam,
> Quantulacunque estis, vos ego magna voco.

Aut igitur utrique aut neutri posterius carmen derogandum erit. Venio ad tertiam Heimreichii rationem, qua spurium hoc esse carmen iis quae de patris morte immatura dicantur studet probare, quippe quibus illud male explicetur, quod I, 22, 7. de proiectis membris propinqui narratum sit. Quae si est explicatio, cur mala et quae interpolatoris possit esse, ipsius poetae non item? An quod qui uno loco minus proprie propinquus appellatus est, hic proprio patris nomine appellatur? At sic ipse secum pugnet Heimreichius, qui supra quem tractavimus locum idcirco in dubium vocat, quod nihil novi adferat, hunc quod afferat aliquid. Sed mittamus haec: non enim dubium videtur, quin hi duo loci ad diversos homines referendi sint. Nam qui I, 22, 7. hoc dixerat:

> Tu *proiecta* mei perpessa es membra propinqui,
> Tu *nullo* miseri contegis *ossa solo* —

is non poterat de eodem hoc dicere IV, 1, 127.

Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris —

quia illic non sepultum, hic sepultum esse eum qui mortuus sit declaratur. Ut enim hoc concedamus, ossa legere alicuius eum qui quem morte amiserit posse dici, ut mortis magis quam sepulturae habeatur ratio, at qui sepultus non est, eius certe nemo dici poterit ossa legisse, praesertim a vate, qui si hoc diceret ipse sibi eo omnem fidem adimeret. Nec gravius est, quod negat cadere in Propertium quae dicantur vss. 128 — 131.

et in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua cum multi versarent rura iuvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes —

quia ille nec queratur usquam de iactura bonorum et parvam sibi fortunam relictam esse testificetur II, 34, 55. s.

Aspice me cui parva domi fortuna relicta est
Nullus et antiquo Marte triumphus avi.

Quae quam nihil valeant facile apparet si Tibullum conferas; qui item patrimonium proscriptione imminutum una tantum in elegia queritur:

I, 1, 19. Vos quoque felicis quondam nunc pauperis agri
Custodes fertis munera vestra Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuvencos:
Nunc agna exigui est hostia parva soli.
ib. 41. Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo —

quamvis autem illud esset minutum, tantum tamen retinuit, ut et ipse se satis habere in carminibus suis testificetur, et Horatius Epist. I, 4, 11. mundum victum non deficiente crumena ei tribuat. Quot autem homines illo tempore agrorum divisionibus

sua patrimonia amiserint, ceteris clarius declarat Appianus pag. 1075., apud quem Antonius ait Octavianum isse in Italiam tanquam omnem Italiam sedibus suis emoturam (ἀναστήσων τὴν Ἰταλίαν). Quid quod fortasse quartus liber cum primo vel verbis concinit? Neque enim necesse est illud relicta de hereditate accipiamus, sed potest de ipsa illa pertica atque agrorum divisione accipi, si quidem quidquid patrimonii quoquo modo relinquitur domi relinquitur. Extremum Heimreichius argumentum hoc profert, ut quae de Apolline dicantur vss. 133. s.

Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo
Et vetat insano verba tonare foro —

ea sumpta dicat ex III, 3., qua se elegia Propertius narrat in Helicone ab Apolline ab epico poemate ad amatoria carmina avocatum. At haec quidem mera est petitio principii. Prius enim demonstrari oportebat haec ad exemplum Propertii ab alio, non ab ipso esse scripta: tum qui potissimum locus expressus esset indicari. Sed ut sit probatum, quod nec probatum est nec probabitur; illo certe ex carmine haec sumi nullo pacto poterant. Quod enim hic dicitur, id etsi Apollo utrobique memoratur non idem est quod illic narratur. Hic Apollo Propertium a causis dicendis et republica, illic a celebrandis poemate rebus gestis Romanorum avocat; hic ea ipsa quae canat ei tradit, illic quod quae sint tradita non teneat sed aliena sequatur reprehendit. Proximi autem versus huius carminis, dico 135. ss., essent illi quidem similiores illis, si essent Apollinis: at non eius sed horoscopi esse non difficile est intellectu. Nam non modo nullo dicendi verbo inducuntur, quo iam Apollinem dicere indicetur, sed ne sententia quidem, si essent Apollinis, cum superioribus satis concinerent; si quidem, ut modo diximus, qui dictat de suo carmine, non habet cur id quod adhiberi velit carminis genus nomine appellet:

At tu finge elegos, fallax opus, haec tua castra. —

Accedit ut neminem magis deceat definire, quod genus scribendi sequendum sit, quam eundem illum qui ab alio genere devocavit, utque desideraretur aliquid, nisi qui vaticinandi sibi artem assumpsit eam ipsam artem praestaret. Quod parum fit extremis duobus distichis quae monentis magis quam futura canentis esse apparet. Sed hactenus contra Heimreichium: nunc ad Luettiohannem venimus, qui hanc primam elegiam non in duas partes discerpit, sed tria ex ea facit carmina, immo integra carmina duo tertiique quasdam male inter se cohaerentes particulas. Sed nihil attinet cognoscere quos ille quasi centones conglutinet: hoc unum nostra refert quibus quamque rationibus partem ex eo qui traditus est ordine elegiae eripere conetur; ad quem locum nunc transimus. Ac primum quidem vss. 39 — 54. ex primo quod ipse statuit carmine expellendos censet:

39. Huc melius profugos misisti, Troia, Penates;
O quali vecta est Dardana puppis ave!
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Laeserat abiegni venter apertus equi,
Cum pater in gnati trepidus cervice pependit,
Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Deci, Brutique secures,
Vexit et ipsa sui Caesaris arma Venus:
Arma resurgentis portans victricia Troiae
Felix terra tuos cepit, Iule, deos!
Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Aventino rura pianda Remo,
Aut si Pergameae sero rata carmina vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput:
— Vertite equum Danai! male vincitis: Ilia tellus
Vivet, et huic cineri Iuppiter arma dabit. —

Nam neque huc in vs. 39. habere quo referatur, etsi Latium significari apertum sit; nec melius posse explicari, cum Roma

nec cum urbe alia comparetur et cum omni orbe terrarum superlativo maxime, non comparativo fuerit comparanda; et illud parum perspici, quo consilio Propertius Troiam dis secundis Penates suos in Italiam dicat misisse, cum ostendere studeat ex parvulis initiis et aedificia et sacra Romana magnificentissime aucta esse. Neque enim cum Iacobo recte statui Troiam dici in terram tam bello valentem bene confugisse, quia nec bellicae Romanorum virtutes proximis versibus describantur neque ea sententia cum Propertii consilio congruat; nec Krahnero (Philolog. vol. XXVII. p. 64) vere videri Urbis magnitudinem ex pristina simplicitate et deorum Troianorum Iuliorumque numine deduci, quoniam non quibus causis opes Romanae tantum adauctae sint, sed adauctas esse exponatur. Quae omnia non difficile videtur diluere. Nam huc δεικτικῶς positum eodem modo ad Romam referendum est atque hoc in vs. 1. et haec in vs. 3. et hinc in v. 31., quae omnia demonstrativa ideo ponuntur quod dicentis locus significatur. Melius autem cum dicitur, non Roma neque cum urbe alia nec cum omni orbe confertur, sed is comparativus cum profugos coniungendus est, ut Penates Troiani profugisse melius quam Troiae mansisse dicantur. Similiter idem vocabulum cum attributo vel apposito iungitur Horat. C. III, 3, 49. s. Aurum irrepertum et sic melius situm Cum terra celat, spernere fortior. Manentes autem ex profugos non difficilius intelligitur quam innumerabilibus illis locis, ubi unus comparativus dicitur, alterum ut addant legentibus relinquitur, ut in ipso illo Horatiano versu. Nec mihi dubium videtur, si id omnino quaeri oportet, cur quibus causis res Romanae increverint exponatur. Cum enim Romulus, quem lupa significari apertum est, non pudendus Urbis conditor esset dictus, ostendendum erat, cur eius non puderet quoque ille modo, quamvis ipsius opes infirmissimae essent, plurimum tamen ad posteras opes contulisset. Ob id ipsum per eum et cum eo Deos Troianos fatisque promissam magnitudinem imperii Romam translatam narratur, qua

commemoratione simul ansa praebetur ad Caesarem gentemque Iuliam celebrandam.

Sed pergamus ad proximos versus quos Luettiohannes oppugnat. Nam in p. 43. vss. 65. et 66.

Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros aestimet ille meo —

idcirco interpolatos atque ex 125. s.

Scandentisque Asisi consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo —

expressos putat, quia hexametro alti montes significentur, in pentametro, quod ad altos montes nihil attineat poetae ingenio augeri, parvis de montibus cogitetur. At cur alti montes? Si forte propter scandentes: hoc verbo nulla magnitudo indicatur, sed scandit quidquid non iacet, verum erectum est, sive id magnum est sive parvum. Nec magis usquam parvos montes vel muros designari videmus. Ergo hoc unum dicitur, si quis patriae Propertii muros videat, is eos tam magnos vel nobiles arbitretur quam eius ingenium magnum sit. Magnum autem hoc esse etsi haud dubie poeta statuit, non hic tamen sed superioribus versibus declarat. Quae omnia pridem vidit Hertzbergius similesque hos locos ascripsit:

Martial. I, 62, 3. Censetur Apona Livio suo tellus —
Ovid. Am. III, 15, 13. Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Moenia quae campi iugera pauca tenent,
Quae tantum, dicet, potuistis ferre poetam,
Quantulacunque estis, vos ego, magna fero.

Sequuntur vss. 81 — 88. s.

Nunc pretium fecere Deos (et fallitur auro
Iuppiter), obliquae signa iterata rotae,

Felicesque Iovis stellas Martisque rapacis
  Et grave Saturni sidus in omne caput,
Quid moveant pisces animosaque signa Leonis
  Lotus et Hesperia quid Capricornus aqua.
Dicam, Troia cades et Troica Roma resurges
  Et maris et terrae longa sepulcra canam. —

Quos cum suo loco movet Luettiohannes primam hanc rationem sequitur, quod ipse secum pugnet horoscopus, qui cum sibi fidem non prioribus Chaldaeis vindicet, suo tempore astrologos mendacia proferre affirmet. At hoc quidem tam aperte falsum est, ut paene pudeat quidquam contra dicere. Quid enim? Si idem ille horoscopus v. 75. s.

Certa feram certis auctoribus: aut ego vates
  Nescius aerata signa movere pila —

verum se vatem profitetur, si v. 77. s.

Me creat Archytae soboles Babylonius Horos,
  Horos, et a proavo ducta Conone domus —

originem suam a clarissimis astrologis repetit, si denique v. 79. s.

Di mihi sint testes non degenerasse propinquos
  Inque meis libris nil prius esse fide —

se negat degenerasse: quis non videt eum et fidem suae vaticinationi ab antiquis sui generis astrologis repetere et ne ab aequalibus mendacibusque astrologis de se coniectura fiat cavere. Gravius si non est at videtur tamen illud, quod negat nec verba obliquae signa iterata rotae et quae sequuntur habere unde pendeant neque illa Troia cades et Troica Roma resurges facile explicari, cum horoscopus Propertii non Troiae fata editurus sit. Certe quidem interpretes videmus in his versibus non parvam operam consumsisse. Quae tamen difficultas non tanta

est ut superari non possit. Omnis causa posita est in recte explicandis illis pretium fecere Deos. Quae qua vi dicantur cernitur ex Liv. XXIV, 15. (nec alia magis Romanum impediebat res quam capita hostium pretia libertatis facta), quem locum Luettiohannes (p. 13.) cum aliis minus similibus adfert. Ut enim capita hostium libertatis facit pretia, qui iis libertatem aut ipse emit aut alii ut emant efficit, ita astrologi Deos vel zodiaci signa pretium faciunt, cum pro iis, quae accipere volunt, non pecunias, sed vaticinationes solvunt, optatissima quaeque consulentibus praedicendo. Quod quomodo faciant ostenditur eo quod sequitur: et fallitur auro Iuppiter, — ubi quid sit fallere intelligitur ex Ovid. Fast. V, 683. ss.

Sive ego te feci testem falsove citavi
Non audituri numina magna Iovis;
Sive Deum prudens alium Divamve fefelli —

et Am. III, 11, 45 s. Parce per o lecti socialia iura, per omnes
Qui dent fallendos se tibi saepe Deos!

ut non esset cur Hertzbergius negaret falli Deos, si quis fallendi causa nominibus eorum abuteretur. Sed ab eodem illo pretium fecere cum reliqui accusativi: signa, stellas, sidus, tum interrogatio quae sequitur apta est: Quid moveant pisces cett., quae quidem pro substantivo momenti adhibetur, sic tamen ut non id quod sit, sed quod fingatur esse momentum designetur, ut recte Naegelsbachius (Lat. St. §, 37, 3.) docet pro nominalibus subiectis aut obiectis interrogationes usurpari, si quid ex rerum veritate in opinionem et dubitationem deducatur. Quod autem ab iisdem verbis et accusativus obiecti et interrogatio pendet, id hic non magis oportet offendere quam II, 34, 67. ss.:

Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin et attritis Daphnin arundinibus,
Utque decem possint corrumpere mala puellam —

aut III, 3, 41. ss. Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano proelia signo
Stent et Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia moerenti corpora vectet aqua.

Qui quidem locus ei de quo loquimur hoc est similior quod neque ab ipso pretium fecere neque ab ipso flare vel cingere, sed ab eo verbo declarandi, quod latet in his verbis, interrogatio apta est. Ut enim poetae flant praeconia et Marte nemus Aonium cingunt canendo et scribendo, ita astrologi Deos pretium fecere proferendo et explicando. Contra, si haec interrogatio quique antecedunt accusativi ex dicam apta faciemus, non solum parum concinne ab eodem verbo et obiecta et obliqua et directa oratio pendebit, verum etiam id dicet horoscopus, quod neque attinet hoc loco dicere et idem dicit infra vss. 103. ss.

Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta Deos —
107. Aspicienda via est coeli versusque per astra
Trames, et ab zonis quinque petenda fides. —

Ut enim mittamus quod Luettiohannes profert, stellas dicturum qui astrologiam explicet, non qui ex astrologia certas res praedicat: at unde suas repetat vaticinationes ibi aptissime dicit, ubi ipso genere atque origine arti suae fidem facit, non ibi ubi id unum agit, ut se quidem vera dicere, alios fallere asseveret. Atque quis non videt quam apte ita oratio procedat? Vera se ait vaticinari, quia ab antiquis verisque vatibus et originem et artem duxerit, cum alii aequales mentiantur. Quae dicat et dicturus sit, ea non minus esse vera quam quae olim de Troiae interitu praedicta sint et de omnis mundi interitu dicantur. Hoc intelligi ex iis quae alias iam vere praedixerit; hoc intelligi ex

ipso genere suae divinationis, quae non in oraculis et haruspicina, sed in siderum observatione sit posita. Sic enim accipimus: Dicam, Troia, cades cett., ex quibus Luettiohannes novam sumit rationem, cum negat hos omnes versus huius esse elegiae, quia ea non Troiae fata exponantur, aliusque carminis fuisse putat, quod de clade Troiae esset conscriptum. Cassandrae certe, ut ille vult, hunc versum esse non posse apparet ex dicam, quod neque in eius neque in alius ore vatis locum habet qui ipse loquens inducatur. At nihil est omnino cur ab usitata quam modo proposuimus explicatione discedamus. Nam ut hic: Troia cades cett. pro exemplo dicuntur: ut significetur tam vera vaticinatio, quam eius vera fuit qui Troiam deletum iri praedixit, ita alibi quoque et saepe pro eo quocum comparatur res quae comparatur ipse dicitur. Atqne inprimis simile id videtur, quod dicit Ausonius in epigrammate XX. in Meroen:

Qui primus, Meroe, nomen tibi condidit, ille
Thesidae nomen condidit Hippolyto.

Nam qui Meroae nomen dederit, is non minus aptum quodque ventura fata exprimeret nomen dedisse dicitur, quam qui Thesei filium Hippolytum nomlnarit. Sed ne illud quidem dissimile est, quod ab ipso Propertio II, 1, 65. s. dicitur:

Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantalea poterit tradere poma manu. —

vel I, 14, 11. s. Tum mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores.
Et legitur rubris gemma sub aequoribus.

Cur autem haec potissimum vaticinatio exempli causa memoretur, nemo mirabitur qui meminerit quanto Propertii aetate sermone omnium quae ad gentem Iuliam et Aeneam Troiaeque fata attinerent celebrata sint. Quod postremum Luettiohannes argumentum profert, vss. 89. ss. optime cum 79. 80. cohaerere, id nihil ad rem; si enim is qui traditus est ordo satis est defensus

nihil attinet quaerere qui alius illo relicto ordo possit inferri. Iam dicendum est de vss. 103 — 118.

Hoc neque arenosum Libyae Iovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta Deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Umbra neque e magicis mortua prodit aquis:
Aspicienda via est caeli versusque per astra
Trames et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene haerentes ad pia Saxa rates,
Idem Agamemnoniae ferrum cervice puellae
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit:
Nec rediere tamen Danai: tu diruta fletum
Supprime et Euboicos respice, Troia, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuviis Graecia pressa suis.
Victor Oiliade, rape nunc et dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.

Hos enim Luettiohannes p. 35. ss. ideo loco movet, quod primnm hoc (in vs. 103.) quid sit non intelligatur; deinde quod parum planum sit cuius rei Calchas dicatur exemplum, quippe qui non ignarus fuisse vaticinandi, sed oraculis suis Danaos in exilium vocasse dicatur, ut vss. 109 — 118. fides horoscopi non augeatur sed invertatur; tum quod non appareat quo ille consilio Troiam captam consoletur Aiacemque libidine pereuntem derideat; denique quod vs. 102. versu 119. optime excipiatur. Ex his argumentis postremum ita vim habebit, si eum qui traditus est versuum ordinem non posse servari demonstratum erit; id ipsum autem iis quas memoravimus rationibus neutiquam convincitur. Nam hoc ad omnem horoscopi divinationem referendum est, cuius modo duo exempla prolata sunt, ut dicat ille talem i. e. tam veram divinationem non aliunde sed ex sideribus esse repetendam. Sic hic pro tali tam saepe dicitur ut exempla ex

quovis lexico facile petantur; de sua autem ipsius divinatione cum loquatur horoscopus, eo aptissime demonstrativo utitur quod primae personae maxime proprium est. Ad Calchantem autem bene tenendum est duo vatum esse officia, non solum quae futura sint praedicere, set etiam ex futurarum rerum scientia quid fieri, quid non oporteat monere. Illud praestitit; quae enim de Troiae interitu praedixerat evenerunt; alteri defuit officio, cum de infelici reditu Graecorum nihil moneret, sed iis quae de Troia vaticinaretur, ut proficiscerentur atque ex magna parte postea interirent auctor existeret. Atque hoc ipsum hic notatur. Nam bene haerentes rates male solvit ac navigandi dedit facultatem, etsi ab ea navigatione plurimi non erant redituri. Merito igitur eius exemplo docetur, non quidem falsa esse quae aliis divinationis generibus praedicantur, at parum ea ad impendentia mala vitanda valere. Id autem hoc loco maxime ad rem pertinet, cum horoscopus non modo quid eventurum sit aperiat, sed primum omnium ut aliis missis elegos atque amatoria carmina componat Propertium adhortetur. Nec vero aut solatur Troiam aut Aiaci illudit, sed per apostropham quid factum sit narrat. Quae figura etsi multo saepius de instantibus rebus adhibetur, prorsus tamen similiter de re praeterita usurpatur III, 7, 17. s.

Paete quid aetatem numeras, quid cara natanti
  Mater in ore tibi est? —

nisi quod hic pro imperativo interrogatio est. — Restat ultimus huius elegiae locus quem tentat Luettiohannes, dico vs. 141. s.

Et bene cum fixum mento discusseris uncum
  Nil erit hoc: rostro te premet ansa suo. —

quos ille post vs. 138. collocat et pro et interiectionem ei ponit. Aliter enim cum illud fore, ut et particula superioris distichi exemplum vel explicatio male afferatur et post graviores dolores multo minores Propertio praedicantur, tum, id quod gravissi-

mum sit, ipsum secum pugnaturum esse horoscopum, qui cum et ante et post de uno amore loquatur hoc disticho idem alterius amoris mentionem faciat. Nam et horoscopum rursus a versu 139. loqui contra Heimreichium demonstrat, et rostrum et ansam de novo novae puellae amore dicit accipienda. Cum enim unus hamus etsi sit duplex ita excuti nequeat, ut una parte remota altera is qui captus fuerit denuo capiatur, alterum unco alterum ansa tormentum duasque puellas, non unam designari. In qua argumentatione primum hoc concedimus, horoscopi non Appollinis hos esse versus; quamquam nobis quidem, ut supra aperuimus, non hi solum, sed etiam superiores eiusdem esse videntur, ut Apollini nullus relinquatur. Neque illud negamus, si transferantur in alium locum, de pluribus puellis posse accipi: quo loco in libris manuscriptis positi sint, non posse. Sed quantum nos videmus nihil est in iis quo de uno aut continuato aut redintegrato amore cogitare prohibeamur. Primum enim, si verum quaerimus, ne hamus quidem a re alienus est. Nam si piscis, cum duplicem cum esca hamum ore recepit, una eius parte apprehensus iactat caput et ut Ovidius ait Halieutic. 39. ss.

> Discursu fertur vario fluctusque ferentes
> Prosequitur quassatque caput, dum vulnere saevus
> Laxato cadat hamus et ora patentia linquat:

cur non hac ipsa capitis iactatione contraria pars oris altero hami unco aut arripiatur aut tamen posse arripi videatur? Neque enim ad vivum omnia in translatione resecanda sunt, sed claudicat, ut aiunt, omnis comparatio, ridiculique videntur, qui a poetis flagitant, ut in iis quae comparent veritatem semper, nunquam speciem sequantur. Verum tamen hoc ipsum admodum dubium est, sitne haec translatio sumpta a re piscatoria. Primum enim etsi duplex hamus memoratur a Persio Sat. V, 154 (duplici in diversum scinderis hamo), parum tamen liquet quid sit in eo uncus, quid ansa, quid ro-

strum, neque in iis antiquis hamis, qui usque ad hoc tempus servati sunt reperias, in quam quodque partem nomen conveniat; deinde vero confertur quidem amor cum piscatu, ut Ovid. A. A. III, 425. s.

Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus.
Quo minime credas gurgite piscis erit —

at multo saepius qui amant aut sagittis transfixi aut ferarum instar laqueis plagisve capi dicuntur, aut facibus Amoris uri et torqueri aut vinculis vel catenis teneri aut captivi in Amoris triumpho duci aut iugum ferre aut militare et signa Amoris sequi aut in mari iactari aut servire aut aegrotare vel furere. Ex his igitur aliquid sumendum erit, in quo et mentum et uncus cum ansa et rostro facilem explicationem habeat. Sed quid potissimum, non facile est dictu, cum nec frena nec iuga nec vincula neque alia multa ex iis satis cognita habeamus. Cum Vitruvius II, 8. ansam de eo vinculo dicat, quo caementa contineantur et uncum similiter dici constet, fortasse catenae significantur quae duplicibus vinculis collum amantis teneant, praesertim cum uncum ad corpora humana additum vel fixum in iis esse appareat ex iis locis qui pridem allati sunt: Cic. Phil. I, 2, 5. Uncus est impactus fugitivo illi. Ovid. Ib. 165. Infixusque tuis ossibus uncus erit. Juvenal. Sat. X, 66. Seianus ducitur unco Spectandus. Quoquo modo autem verba explicabimus, sententia haec erit: nullo pacto te ab eo amore prorsus liberabis. Quam sententiam facile cernitur cum addi aptissime et particula ad superiorem tum cum proxima optime cohaerere. Haec enim tria dicuntur: primum unam puellam a Propertio amatum iri, deinde perpetuo, tum summo cum dolore; ut ne illud quidem verum sit a maioribus ad minores dolores praedicendos vaticinationem transire.

In elegia altera Luettiohannes (p. 34. s.) loco movet vss. 41 — 46.

Nam quid ego adiiciam de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
Me notat et iunco brassica vincta levi:
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meae. —

ut ante iam Schraderus et Lachmannus, cumque hic nullum iis certum locum vindicet, ille eos post vs. 18. collocet, ipse post vs. 12. transfert. Namque hic, inquit, cur hortorum cultorum maximam sibi famam esse gloriatur Vertumnus? an ut sirpiculis medio pulvere rosas se ferre posse ostendat? at ceteris huius generis distichis documenta non addidit: cur huic adiunxit quae ne convenirent quidem omnino in rem? nam vv. 45. sq. exempla potius illum afferre demonstrant fructuum in suum honorem praeceptorum, de his autem iam vv. 11. sqq. verba facit. similiterque quid fama de ipso eiusque nomine statuerit enarrat vs. 11 — 20. simulque ut testimonia fructus sibi allatos commemorat. — Omnem argumentationem trahi videmus ex fama. Sed nec quae sit de nomine Vertumni fama (ut vs. 19. Mendax fama noces) indicatur neque hortorum fama vel gloria memoratur, ut rosas posse ferre sirpiculis appareat; verum res tam simplex est ut non facile quemquam fugiat, qui non de industria nodum in scirpo quaerat. Vertumnus ut opportunam suam esse naturam omnibus figuris doceat, quot quamque varias figuras habeat enumerat. Nonnullis simpliciter memoratis iam occupatione utitur quam dicit auctor librorum ad Herennium IV, 26, 37.: Occupatio est cum dicimus nos praeterire aut non scire aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus. In qua figura Seyffertius (Schol. Latin. I, p. 30.) ostendit nam ita dici, ut si qui quaerant, cur res non prius memorata sit, iis occurratur. Ergo per occupationem vs. 41. novas figuras profert quas decenter habeat, ut Tibullus ait IV. 2, 13. s.

Talis in aeterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet:

et oleribus se et floribus omnibus ita ornari ut decorus sit. De praeceptis anni fructibus non dici, ut vs. 11. ss., videmus ex verbis: quin ille decenter cett., et ex probata, quod nequaquam cum Luettiohanne in locata convertendum, sed pro natura totius loci sic accipiendum est; ut hortorum dona in Vertumni manibus placere dicantur. Cum autem Vertumnus dicit: de quo mihi maxima fama est, rationem reddit occupationis. Olerum enim et florum ornatus ideo omittere potest, quod illis eum ornari notissimum est; ornatur autem iis ob id ipsum, quod ut hic ait vs. 11., vertentis anni fructum praecipit vel quod hortorum deus est, ut ipse se apud Ovidium Metam. XIV, 687. s. Pomonae describit:

Quid? quod amatis idem? quod quae tibi poma coluntur
Primns habet laetaque tenet tua munera dextra? —

In tertia elegia Heimreichius (Quaest. Propert.) versuum 7. — 11. partes inferiores, quos hic uncis inclusimus, interpolatos declarat:

Te modo viderunt iteratos (Bactra per ortus)
Te modo munito Neuricus (hostis equo)
Hibernique Getae pictoque (Britannia curru)
Ustus et Eoa discolor Indus (aqua).

Nam verba — Bactra per ortus — neque in Neapolitano esse codice neque ullam habere explicationem; Britanniam non posse memorari cum Lycotas in orientis terris fuerit, aqua Eoa non uri Indos, qui praeterea parum appareat qua vi usti iidemque discolores vocentur. Sed tres posteriores versus satis defendit Luettiohannes (p. 4.), qui merito admonet semper in orientis regionibus militasse Lycotam nusquam dici, et aqua Eoa loca-

liter accipiendum, ut I, 14, 1. unda Tiberina, et ustus-decolor recte expeditum esse a Lachmanno; qui quidem, Ustus decolor, inquit, expone: decolor, quia ustus. Relinquitur igitur vs. 7., ubi cum iteratos per ortus non sic possit accipi, ut alibi sol aut alia sidera iterare ortus dicuntur, cum iterum oriuntur, maxime veri simile illud videtur, quod Lucianus Muellerus profert, cum in archetypo quod scriptum fuerit non potuerit legi, ea verba in Neapolitano omissa, in Groningano ea scripta esse, quae etsi non intelligerentur ad literas archetypi proxime viderentur accedere. Hunc igitur locum mittamus et veniamus ad vs. 29.

At mihi cum noctes induxit Vesper amaras — ante quem versum Luettiohannes collocat vss. 43 — 50.

Felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla
  Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis!
  Essem militiae sarcina fida tuae.
Nec me tardarent Scythiae iuga, cum pater altas
  Aprico in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior:
  Hanc Venus ut vivat ventilat ipsa facem; —

sic tamen, ut et post hos versus nonnullos putet versus intercidisse, quibus se Arethusa declararet propter coniugis amorem facilius castra toleraturam esse, et infra ante vs. 51.

Nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris —

rursus aliquot excidisse versus, quibus se luctus causa sordida uti veste profiteretur. Cuius opinionis argumenta ex his locis promit. Primum ex at, quod est in vs. 29. Nam in eo qui traditus sit versuum ordine non perspici quid cui opponatur: at aptissime ei quae absentem maritum deploret Arethusae opponi eandem Lycotam in bellum comitantem. Deinde ex descriptione

solitudinis Arethusae; quae cum a vs. 29. usque ad vs. 42. pertineat male interrumpatur versibus 38 — 50. Tum ex illo nam, quod est in vs. 51. Hoc enim versu et sequenti nullius rei reddi rationem, nisi cur Arethusa sordida utatur veste, non eius quae antecedat sententiae. Postremo ex vss. 40. s., quorum generalis sententia neque hic ad rem pertineat neque usquam apte enunccietur, nisi id agat Arethusa, ut se propter mariti amorem facilius castrorum pericula toleraturam ostendat. Contra quae omnia breviter dicendum existimo. Quamquam de at particula vix est quod dicamus. Arethusam enim cum superioribus versibus de Lycota dicat, a versu 29. de se dicere incipiat, ea particula ipsam se illi opponere intelligitur. Hoc quidem tam apertum est, ut documentis non egeat. Si quis tamen similia quaerit exempla, satis multa praebet Ovidius in Heroidibus. Nam Phyllis cum a suo desiderio ad Demophoonta transit II, 23.

At tu lentus, inquit, abes, nec te iurata reducunt
Numina; —

eadem cum ab illo ad se revertitur (45.)

At laceras etiam puppes furiosa refeci;

Hermione, ubi a suis malis ad Orestam transgreditur, VIII, 15.

At tu, inquit, cura mei si te pia tangit, Oresta,
Iniice non timidas in tua iura manus; —

Hypermnestra, ubi post suae solitudinis descriptionem Lyncea appellat XIV, 123.

At tu, si qua piae Lyncen tibi cura sororis. —

Neque illud oportet offendere, quod at cum obliquo casu mihi, non cum ego coniunctum est, etsi Arethusa non noctes suas Lycotae noctibus, sed quae ipsa faciat iis quae ille faciat opponit. Nam alibi quoque fit, ut quae res alteri rei opponitur non

ipsa opponendi causa appelletur, sed in contextu sermonis ita significetur, ut ex alio casu is, quo in opponendo opus erat, intelligendus sit; velut Ovid. Heroid. XV, 45. Sappho ad Phaonem

At me, inquit, cum legeres etiam formosa videbar, —

etsi antecedunt haec: Si, nisi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est —

ut ipsam se aliis puellis facie praestantibus, non sua carmina alienis opponere appareat. Atque eadem vis vel infirmitas potius alterius rationis est. Solitudinis Arethusae non vult interrumpi descriptionem. Quasi vero elegiae sit res ordine exponere, non cogitandi et sentiendi ordinem sequi, aut ulla ab ea sententiarum series aliena sit, cuius quae sit coniunctio et complexio appareat, si modo unum illud non desit, quo contineatur carmen quoque omnia sive ipsa sive per alia referantur! Quod cum statuamus nos non nostrorum philosophorum doctrinam sed antiquorum poetarum exempla sequi, neminem fugiat qui in illis non plane rudis sit. Ergo non illud oportet offendere, quod solitudinis descriptioni alia sint interposita, sed hoc quaeri oportet, qui sit ad haec alia ab illa transitus. Quo quidem transitu nullus est facilior. Sibi enim suaeque solitudini Arethusa eam opponit, quae, contra atque ipsa, maritum in castra comitata sit, idemque ut sibi liceat optat, ut orationis eundem esse processum intelligatur qui est in prima primi libri elegia, ubi Propertius infelici suo amore descripto primum sibi Milaniona qui felicius amavit opponit, deinde sagarum et amicorum opem exoptat, tum ad suam conditionem revertitur. Quid vero magis est in rei natura positum, quam ut qui amare se vehementer dixerit idem continuo cur amet adiiciat? Haec enim est sententia vss. 49. s. ubi se Arethusa maritam maritum vehementius quam alias alienos viros amare dicit. Neque haesisset hic Luettiohannes, ut iam quartum eius argumentum attingamus, si illud respexisset, quod Ovidius Her. XIII, 29. s. dicit:

Ut rediit animus, pariter rediere dolores:
Pectora legitimus casta momordit amor.

Utrobique enim magnitudo amoris a matrimonio repetitur. Quod autem Propertius communiter maluit quam proprie loqui, id hic non magis mirum videtur quam I, 1, 16. Tantum in amore preces et bene facta valent — et L, 2, 8. Nudus Amor formae non amat artificem — et L, 5, 24. Nescit Amor priscis cedere imaginibus — et plurimis aliis locis. Restat illud — nam mihi quo? — ut de omnibus dictum sit. Quo quamvis facile concedamus potuisse rationem referri sordidae vestis, si illa prius esset memorata, nullo tamen pacto intelligimus, cur alius rei ratio reddi non possit, cum neque in verbis neque in sententia sit quidquam cur ita existimemus. Nam verborum non eum esse usum, ut subiectum ex antecedentibus revocetur, apparet ex Horat. Epist. I, 5, 12. Quo mihi fortuna si non conceditur uti? —, ubi ex sequentibus verbis fortuna praecipitur. Ad quod exemplum hic quoque purpuram et crystallum ex consequentibus verbis occupabimus. Negat igitur Arethusa se ornari, quod absentem maritum lugeat; haec autem si res est, nam est indicio afferri rationem, ex qua quantus sit amor perspiciatur, non secus ac I, 15, 9. ss.

At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat aequoribus;
Multos illa dies incomptis maesta capillis
Sederat iniusto multa locuta salo —

sordibus et luctu Calypsus probatur Ulixem ab ea vehementer esse amatum aut in initio eiusdem elegiae Propertius parum se amari eo coniicit, quod Cynthia crines componat et faciem quaerat. Utrum enim absit an abiturus sit is qui amatur, nihil ad rem. Atque eadem sententiarum series et copula in iis est, quae apud Ovidium Her. XIII. 29. ss. Laodamia Protesilao scribit, etsi hic particula causalis abest; quem locum paullo ante attigimus:

Ut rediit animus, pariter rediere dolores;
Pectora legitimus casta momordit amor.
Nec mihi pectendos cura est praebere capillos:
Nec libet aurata corpora veste tegi —
Conveniunt matres Phylaceides et mihi clamant:
Indue regales, Laodamia, sinus.
Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes,
Bella sub Iliacis moenibus ille gerat?
Ipsa comas pectar: galea caput ille prematur?
Ipsa novas vestes: dura vir arma ferat?
Quo possum squalore tuos imitata labores
Dicar: et haec belli tempora tristis agam.

Quarta in elegia haeret Luettiohannes in vss. 27. s.

Dumque subit primo Capitolia nubila fumo
Rettulit hirsutis brachia secta rubis. —

Neque enim que particula tam diversam rem ad ea quae prius narrentur posse addi, nec satis intelligi, qui Tarpeia sive aquae petendae sive lustrandi causa mane, ut moris fuerit, egressa aut in rubos inciderit aut, cum vesperi domum redisse dicatur, totum in fontibus diem consumpserit. Nam lustrari potuisse brevissimo tempore: Vestae afferre aquam debuisse. Praeterea etiam querelas eius, quae sequuntur a vs. 31., certa quadam re motas, non temere effundi videri. Quocirca ante vs. 27. statuit nonnullos versus excidisse, quibus narraretur Tarpeiam die quodam in planitiem degressam Tatio persequente aufugisse, eiusque narrationis extremos fuisse versus 71. et 72.

Illa ruit qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu, — (*)

(*) Nos eam versus formam protulimus, quae et in codicibus est et nobis probatur. At Luettiohannes mavult: Strymonis abscissum fertur aperta sinum-

loco movendos eos quidem idcirco, quod nec ruit de furore possit accipi propter Amazones quarum non sit furere, nec cur propria vi ruerit vel cucurrerit Tarpeia ullo modo excogitari possit. At ruit h. e. celeriter currit et abit amore qui nocturnis somniis increverat incensa et scelere quod animo machinatur impulsa et cura Tatii quem et servare et sibi conciliare cupit permota, ut Scyllae apud Ovidium Met. VIII, 38.

> Impetus est — — — ferre per agmen
> Virgineos hostile gradus; —

ut Ariadne Her. X, 19. somno expergefacta et Thesea desiderans:

> Nunc huc nunc illuc et utroque sine ordine currit; —

ut Sappho Her. XV, 135. ss.

> At cum se Titan, inquit, ostendit et omnia secum,
> Tum cito me somnos destituisse queror.
> Antra nemusque peto, tanquam nemus antraque prosint.
> Conscia deliciis illa fuere tuis.
> Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
> Impulit, in collo crine iacente feror; —

---

quod sinus abscissus in Amazone non de veste, sed de mamma extirpata accipiendus sit, quae in aperta non ablativo sed accusativo sit dicenda. Quod quam nihil valeat perspicuum est ex III, 14, 13. Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis Thermodontiacis turba lavatur aquis, ubi Amazones non omni veste carere dicuntur, sed sententia haec est: quales sunt nudatis mammis Amazones, quae in Thermodonte lavantur vel illic habitant. Nam aliter nec mammae potissimum nudae dicerentur, nec mox (v. 19. Inter quas Helene nudis capere arma papillis Fertur) nudae papillae Helenae, neque Amazones cum Spartanis puellis conferrentur; nisi forte etiam equitantium, pila ludentium, armis dimicantium tota corpora nuda fuisse existimes. Similiter Vergilius pectus nudatum memorat Aen. I, 492. Penthesilea — Aurea subnectens exsertae cingula mammae; — XI, 649. Amazon — Unum exserta latus pugnae pharetrata Camilla; — ib. 803. Hasta sub exsertam donec perlata papillam. Quodsi pectus nudatum est, sinu vestis abscisso nudatum est, ut III, 8, 8. Propertius Cynthiae, Fac mea, inquit, rescisso pectora nuda sinu.

ut C. Valerius Flaccus Argon. VIII, 20. ss. de Medea quae mane ad Iasonem abitura est haec dicit:

Inde velut torto Furiarum eiecta flagello
Prosilit, attonito qualis pede prosilit Ino
In freta; —

nec difficile est similium locorum augere numerum, si opus videretur. Superioribus autem versibus, 27. s., tantum abest ut que particula diversa res ad diversas addatur, ut in eadem causa pergatur. Omni enim illo loco refertur quid solita sit facere Tarpeia postquam Tatium cum Vestae aquam peteret conspectum adamarit, narraturque et fictis causis saepe ex arce exisse et Nympharum gratiam ut illum servarent captasse muneribus et vesperi domum redisse. Quae quam arte inter se cohaereant neminem potest fallere nisi qui primum illum Tarpeiae exitum in quo primum Tatium conspexit cum posterioribus et frequentioribus discessibus confundat. Neque attinet quid illa tam diu ad fontes fecerit quaerere. Unum enim appellatur: Nymphis flores attulisse; alterum etsi non appellatur ipsum tamen per se intelligitur: Tatii adspectu esse delectatam, quem cum primo non ex arce sed ex fonte vidisset, ut rursus spectet eundem fontem saepius repetit. Item apud Ovidium Met. VIII. in. Scylla ex turri quadam Minoem solet admirari; item apud C. Valerium Flaccum VI, 575. Medea muris residens paternis, dum datur (602) Iasona oculis prosequitur. Quo consilio si illa abibat cum et suos et hostes deberet fallere ne animadverteretur, rubis secta brachia retulisse domum non esset mirum, etiamsi non ipsa vs. 43. spinosi rorida terga iugi memoraret. Querelae vero ut effunderentur alia praeter amorem causa hic non magis opus erat quam in similibus querelis Scyllae aut Medeae, ante quas nemini nec venit in mentem nec veniet, opinor, alios versus esse omissos.

In eadem elegia Lucianus Muellerus (Praef. pag. XLIII.),

Ante vs. 55., inquit, excidisse puto, quibus de pactis Tarpeiae cum Tatio ineundis ageretur. At de iis pactis non hic erat dicendi locus, sed infra, ubi Tarpeia Tatium convenisse narratur (81. s.), si ea res pluribus esset exposita. Similiter enim in simili causa Medea apud C. Valerium Flaccum non in initio libri septimi, ubi noctu suum secum animo amorem versat, quid cum Iasone pactura sit aperit, sed postea (437. ss.) ipsi Iasoni suum offert auxilium eiusque promissa accipit; similiter apud Ovidium Met. VIII. Scylla non ipsa secum quomodo Minois matrimonium postulatura sit considerat, sed mox ipsi (v. 92.) quid postulet profitetur; at in Ciri nulla usquam pactorum fit mentio, nisi forte quis illud huc referat, quod Scylla in vinculis atque in navi vs. 414. haec queritur:

Illa ego tum, Minos, sacrato foedere coniux
Dicta tibi. —

Contra, ut hic Tarpeia prius metuentem Tatio animum declarat et se ei velle opem ferre utque velit pulchritudine eius moveri aperit, mox sive uxor sive amica futura sit Romam dotis loco pollicetur: ita eadem Scylla apud Ovidium (64. ss.) post similis metus declarationem pulchritudinisque Minois commemorationem ad consilium patriae prodendae transgreditur:

Quam metuo certe, ne quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens! quis enim tam dirus, ut in te
Dirigere immitem nisi nescius audeat hastam!
Coepta placent et stat sententia tradere mecum
Dotalem patriam. —

In elegia quinta Luettiohannes primum interpolatos putat (p. 44.) vss. 9 — 12.

Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum
Et volucris nidis esse noverca suis.

Qnippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua; —

quam ad opinionem, ut brevi complectar, his rationibus adducitur. Primum velit — poterit falso dici ait de mortua lena. Deinde inepte positum quippe, qua causali particula scriptores uberiorem eorum quae dicta sint expositionem soleant inducere. Tum parum perspicuum esse cur herbae ad fossam moveantur; nam scrobes effodi a magis, ut victimarum sanguis infundatur. Item stantia explicatione carere; nam nec rigida quae sint dici stantia, nisi addito gelu; nec quae super terram promineant etsi possint dici convenire in currentem aquam, cui solida non alta opponenda sint, nec firma, quae item stare recte dicantur, recte eadem dici dilui, quod verbum magis in eas res cadat, quae ipsa materia inter se cohaereant; neque illud esse miraculum, quod hic memorandum fuerit, si quae stent aqua diluantur. Atque idem aliqua ex parte ad vs. 10. valere. Postremo quae his versibus memorentur ea ad amatoria artificia non pertinere. Quas rationes ut ordine persequamur, etsi pro velit-poterit usitatius dixisset Propertius: vellet-posset, quis tamen poetam miretur de iis, qui fuerint, tanquam sint loqui, cum hoc ne a soluta quidem oratione plane alienum sit? Nec solum praesens historicum quod in narrando dicitur aut ἀποστροφὴν dicimus, cuius exempla sunt frequentissima: admodum similiter ipse Propertius II, 1, 39. Sed neque, inquit, Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus Intonet angusto pectore Callimachus, — etsi cum hoc scriptum est Callimachus non minus quam haec lena erat mortuus. Hic vero praesens et futurum eo minus admirationis movent, quod iam altero versu ad lenam quasi vivat dicitur: Et tua quod non vis sentiat umbra sitim. Nam si verum quaerimus ipsa iam non poterat velle, umbra poterat. Neque obstat illud cogeret, quod est in vs. 8. (Penelopen quoque neglecto rumore mariti Nubere lascivo cogeret Antinoo.); illic enim de praeterito tempore, hic de praesenti dicitur. Deinceps quippe particula

adfertur ratio, ex qua lenam magnetem et aves etiam sua arte mutare posse perspiciatur. Unum enim qui potest efficere, alterum etiam et simile efficere posse probabile est; quam eandem Propertius coniecturam I, 1, 21. ss. adhibet, ubi magis pollicetur, si Cynthiam sibi conciliarint, se etiam sidera et amnes ab iis duci crediturum:

En agedum dominae mentem convertite nostrae
  Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes
  Posse Cytaines ducere carminibus.

Prorsus similiter autem quippe dicitur I, 9, 26. ss.

  Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est;
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
  Nec vigilare alio nomine, cedat Amor? —

ubi adfertur ratio, cur quae amet ipsa acrius ametur; et II, 4, 7. ss.

Non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis,
  Non Perimedeae gramina cocta manus.
Quippe ubi nec causas nec apertos cernimus ictus,
  Unde tamen veniant tot mala caeca via est. —

ubi amoris esse remedium idcirco negatur, quod unde et quomodo oriatur obscurum sit; et III, 3, 47.

Quippe coronatos alienum ad limen amantes
  Nocturnaeque canes ebria signa fugae; —

quibus versibus docetur, cur Propertium, id quod ante dictum est, alia et graviora poematum argumenta relinquere oporteat. Sive igitur rationem vel argumentationem uberiorem expositionem dicit, ea hic quoque deprehenditur: sive aliud, vim par-

ticulae quippe falso definit. Iam cur herbas ad fossam lena moveat, id quidem quae est obscuritas rei magicae certe dici non potest. Ac memorantur quidem scrobes idcirco effossae, ut sanguis infunderetur, ut iam apud Homerum (Od. XI., 35. ss.) Ulixes cum Manes est excitaturus sanguinem in fossam infundit et apud Ovidium (Metam. VII, 245) Medea cum Aesoni iuventutem parat reddere, — patulas perfundit sanguine fossas, et apud Horatium (Sat. I, 8, 28.) Canidia et Sagana cruorem in fossam confundunt, ut inde Manes eliciant: sed tamen nec solus semper sanguis in scrobes instillatur neque earum hic unus est usus. Nam Ulixes eo quem attulimus loco, priusquam se oves narrat mactasse,

> ἀμφ' αὐτῷ δὲ, inquit, χοὴν χεόμην πᾶσιν νεκύεσσιν,
> πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδέϊ οἴνῳ,
> τὸ τρίτον αὖϑ' ὕδατι. ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνον;

Medea Ovidiana sanguine effuso:

> Tum super invergens liquidi carchesia Bacchi
> Aeneaque invergens tepidi carchesia lactis
> Verba simul fundit.

At Vergiliana venefica (Ecl. VIII, 90. s.) cum Daphnidis pignora terrae mandat, haud dubie ab id ipsum scrobem effodit, in satira Horatiana (vss. 42. s.) magae lupi barbam variae cum dente colubrae furtim terris abdunt; apud eundem Horatium (Epod. V, 29. ss.) Veia humum exhaurit, ut possit infossus puer inedia enecari. Quid igitur est, cur non herbae quoque in scrobe condantur, si illud moverit ad fossam eadem vi qua abdiderit in fossa accipias? At, si verum quaerimus, collocare herbas in fossa Acanthis nusquam dicitur, sed movere i. e. versare ad fossas i. e. apud fossas; sic autem nihil significatur nisi hoc: uti eam et herbis et fossis, quarum duarum rerum in veneficiis omnium creberrimus est usus. Paene vero ridiculum est in stantia

haerere. Stant enim non modo ea quae non iacent aut sedent, sed etiam quae non moventur; at currens aqua movetur: ergo ea vis datur lenae ut quae certum et firmum statum obtineant ea in mobilem aquam convertantur. Idem fere aut tamen ex genere eodem illud est quod Medea sibi sumit cum apud Ovidium Metam. VII, 200. s.

concussaque, inquit, sisto,
Stantia concutio cantu freta.

Atque quis eo moveatur, quod quae de magnete, de volucri, de aqua memorantur, ea omnia a philtro sint aliena? Quasi vero id agatur ut omnia eius lenae philtra enumerentur, non id ut quantum ea possit in amoribus universa eius arte et facultate adumbranda demonstretur; non secus ac Medea eo quem laudavimus loco Metamorphoseon, cum ad Aesonis senectutem removendam deorum auxilium implorat, omnia quae iam effecerit commemorat, etsi nihil ad id quod tum agit pertinent, vel, quod etiam similius est, Ovidius Am. I, 8. prius omnes Dipsadis artes recenset et tum demum (vs. 19)

Haec sibi, inquit, proposuit thalamos temerare pudicos —

scilicet ut doceat quantum illa in hoc quoque genere possit proficere. Mittamus igitur haec et veniamus ad medium carmen, cuius ordo a Luettiohanne non minus vehementer perturbatur. Nec tamen attinet quem ipse novum ordinem constituat exponere: satis habebimus memorare quibus ductus rationibns eum qui traditus est ordinem mutatum velit, quas si refutaverimus omnem rem expeditam putabimus. Negat autem primum vss. 29. s.

Et simulare viros pretium facit: utere causis,
Maior dilata nocte recurret amor —

cum antecedentibus cohaerere, quia singularium ordo praeceptorum post generalia et particula non possit incipi, idemque

pro virum scribit moram, quod virum neque a simulare neque a pretium facit aptum possit esse; quae cum verba semper significent: constituere, pretium — accusativum non asciscant. Sed nihil mutandum est. Nam virum pretium facit similiter dicitur ac pretium fecere Deos de quo ad IV, 1, 81. diximus, etsi hic pretium magis etiam a propria significatione deflexum est. Neque enim id denotat quod quasi in emptione pecuniae loco datur, sed rem utilissimam, nihil amplius, ut Kritzius ad Sallust. Iug. 81. docet a Tacito dici (Ann. II, 35. Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere. I, 57. Germanico pretium fuit. convertere agmen), ut sententia haec sit: simulando effici, ut vir i. e. amor viri res utilissima sit et quaestuosissima. Nam illud quidem pridem et recte memoratum est, simulare virum si quis ipse viri speciem indueret; at nec simpliciter simulare praeter consuetudinem dicitur nec quid sit simulandum hic obscurum esse potest, cum id ipsum multis qui sequuntur versibus explicetur. Simulari oportet causas amatoris diripiendi, qui quo magis differatur, eo vehementius exardescat, quo magis ardeat, eo plura dare paratus sit; itaque simulandae irae, sabbata, natales, aemuli. Quibus praeceptis tantum abest ut superiore disticho:

Sperne fidem, provolve deos, mendacia vincant!
 Frange et damnosae iura pudicitiae!

generalis nescio quae praeceptio praemittatur, in qua quae sequuntur sint posita, ut omnis quasi rationis illa una pars sit, altera a vs. 29. exponatur. Pudicitia enim cum earum sit quae aut nullis aut singulis amatoribus utantur, ut mox quid in singulorum amore observandum sit, ita prius lena praecipit ut plures viri amentur fidesque amatori data fallatur, atque per et ab una ad alteram partem suae disciplinae transgreditur. Nihil enim interest utrum quaestus causa puella iubeatur aliquid fa-

*

cere, an ut faciat aliquid quaestuosum esse doceatur. Generale si quod est praeceptum latet illud in primis verbis vs. 27. *sperne fidem*. Nam si ad amorem idem valet, quod de amicitia ait Cicero (Lael. 15, 65. Firmamentum autem stabilitatis constantiaeque eius quam in amicitia quaerimus fides est), si, inquam, amor etiam fide maxime constat, vituperatio fidei non ad proximum tantum praeceptum sed ad omnia quae sequuntur pertinet. Latet tamen, dico, non patet. Nam aperte fides ad id iusiurandum referendum videtur, quo se puella amatori obstrinxerat, ut Ovidius Am. III, 3, in. Esse deos, inquit, i, crede, *fidem iurata fefellit*; id quod ex proximis verbis apparet. Proximorum versuum ordinem et processum attigimus iam: est tamen eodem redeundum, quia Luettiohannes vss. 37 — 46. alio transfert, quod iis iam non praecipiatur, ut ante et post rursus, quomodo pecunia extorqueatur ex amatore iam certis vinculis constricto, sed quibus illecebris dubius etiam et incertus amator irretiri possit; quod dici coniicit ex illo *tenes* quod est in versu 37. Ut igitur videamus, num quae de vetere amatore dicantur novi amatoris commemoratione, quae de pecunia extorquenda, capiendi et irretiendi praeceptione interrumpantur, versus illos proponamus:

Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
  Quidlibet. has artes si pavet ille *tenes*.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
  Litibus alternis quos putet esse datos.
Nec te Medeae delectent probra sequacis:
  Nempe tulit fastus ausa rogare prior.
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
  Cum ferit astutos comica moecha Getas.
In mores te verte viri: si cantica iactat,
  I comes et voces ebria iunge tuas.

Nihil videmus quo Luettiohannis opinio confirmetur, illud autem ipsum *tenes*, ex quo omnem trahit argumentationem, tantum

abest ut ad novum amatorem irretiendum referendum sit, ut non possit nisi de capto iam amatore accipi; si quidem de amore audire oportet eum, qui ipse se magistrum amoris nominat, Ovidium dico, qui A. A. II, 91.

Non satis est, inquit, venisse tibi me vate puellam.
Arte mea capta est: arte tenenda mea est.

Item non in initium amoris, sed in confirmatum iam et stabilitum amorem ea cadunt, quae his versibus praecipiuntur. Suadetur enim, ut rivalium metus amantibus afferatur: at audiamus rursus eundem Ovidium A. A. III, 591. ss.

Dum cadit in laqueos captus quoque nuper amator,
Solum se thalamos speret habere tuos.
Postmodo rivalem partitaque foedera lecti
Sentiat. has artes tolle; senescet amor.

Atque eadem sententia iam prius a vs. 559. exponitur. Ergo his versibus de eodem amatore atque superioribus disputatur; consentaneum autem est, postquam de artibus pecuniae colligendae dictum sit, quibus artibus amator nihilominus retineatur doceri, similiterque Ovidius antequam ea quae attulimus praescribit de muneribus accipiendis loquitur, etsi is quidem poetas carmina non munera debere declarat. At poximis versibus non de diripiendis veteribus sed de eligendis novis amatoribus agi quivis facile perspiciet, qui eos diligenter perlegerit:

47. Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis
Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec attrita si ferat aera manu,
Aut quarum titulus per barbara colla pependit,
Caelati medio cum saluere foro.

Ordinem igitur praeceptorum contrarium atque in Arte Ovidii

habemus, qui primum librum eligendis et capiendis, alterum tenendis puellis tribuit. Qui ordo cur hic mutetur facile intelligitur. Ut enim artem exponentis est ab eo quod primum fieri oportet incipere, ita ei puellae quae iam utitur amatore recte prius praecipitur quomodo amatore utendum sit, deinde quos novos amatores capi oporteat. Versus 55. et 56:

Quid iuvat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coa veste movere sinus —

qui ex initio I, 2. repetiti sunt, ut a Lachmanno, ita a Luettiohanne omittuntur, summo iure, ut nobis videtur. Satis enim est verisimile eos, cum olim in margine eius ex quo nostri fluxerunt codicis notati essent, postea in transscribendo ipsi elegiae insertos esse. At dissentimus rursus a Luettiohanne de vss. 59—62:

Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
Sub matutino cocta iacere Noto; —

quos ille ideo loco movet, quod versuum quos sperni Propertius maxime indignetur ultimo loco mentionem fieri, ad iuventutem utendam quae gravissima sit adhortatio impelli puellam ante caetera praecepta oporteat, cum praesertim ea sententia cum vs. 28. (Frange et damnosae iura pudicitiae) cohaereat. Haec sententia confirmari videtur Ovidii Artis Amatoriae libro tertio, in quo similis adhortatio omni praeceptioni praemittitur, eiusdemque Àm. I, 8. ubi certe perpauca ante praecipiuntur. Sed caveamus ne ea specie fallamur. Si enim verum quaerimus, in Ovidiana elegia eadem adhortatio in simili sententiarum serie posita est atque in Propertiana. Dirigitur enim ad quaestum vss. 53. ss.

Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit:
Nec satis effectus unus et alter habent.

Certior e multis nec tam invidiosa rapina est.
Plena venit canis de grege praeda lupis.

quos versus excipit poetae amatoris obtrectatio:

Ecce quid iste tuus praeter nova carmina vates
Donat? amatoris millia multa leges:

at Propertius hoc idem hortatur postquam aurum spectandum non carmina declaravit; ut utrobique communiter florem aetatis carminibus poetisque neglectis ad quaestum conferendum esse doceatur. Artis autem Amatoriae longe alia ratio est. Nam illic, priusquam quomodo amari oportèat praecipitur, esse amandum probatur, quod in hac elegia ad amantem puellam directa tacite sumitur et ponitur. Atque ut eius adhortationis cum quaestus et poetarum commemoratione coniunctio Ovidii elegia defenditur, ita extremus locus Horatianis carminibus I, 4. 11. II, 3., quae etsi reliqua argumenta alia sunt tamen in aetatis fruendae adhortationem exeunt; quamquam in aliis ut II, 14. ab ea ipsa re principium sumitur. Hactenus de uno argumento: contra alterum vix est quod dicamus. Unde enim patet versus contemni maxime aegre ferre Propertium? unde, si ita sit, extremo tantum id profiteri potuisse? Nam plane idem ad Ovidium eamque quam attulimus elegiam attinet, qui si de versibus non extremo loco, sed in medio carmine loquitur, cur Propertium necessario ipsum exitum elegiae praetulisse putemus? Reliquus est vs. 84. Hunc enim qui in codicibus sic scribitur:

Per tenues ossa sunt numerata cutes —

ab aliis aliter correctum et explicatum, Luettiohannes leviter mutatum ut scribat ossaque per tenues s. n. c. de lena accipit et post vs. 69.

Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas

collocat, at vs. 70.

Horruit algenti pergula curta foco —

in illius locum transfert. Nam quae illo versu significetur macies cum nec Propertii nec puellae possit esse lenae ut sit relinqui et convenire in subitam eius mortem quae Veneris numine efficiatur; mortuae porro speciem describi non posse, nisi prius esse mortuam memoratum sit: ergo illinc versum eum esse removendum. Rursus post memoratam lenae mortem versum 70. nulla sententiae necessitudine cum proximis esse coniunctum, at egestatis statim post divitiarum studium puellae commendatum apte fieri mentionem: esse igitur locos horum versuum inter se commutandos. In qua argumentatione tantum facile concedimus, maciem nec puellae esse nec Propertii; quam rem cum multos interpretes tum Hertzbergium fefellisse vehementer miror. Ubicunque enim amantium macies memoratur — et memoratur creberrime — ibi aut, ut Luettiohannes recte admonet, a cura et desiderio aut a veneficiis aut a multo Veneris usu proficiscitur*), quae ab hoc loco omnia aliena sunt: repentinus terror et metus pallore non macie cernitur. Anicularum autem macies cum alibi saepe commemoratur**), tum in hanc lenam eo magis convenit, quod mox tussi moritur, ut eaedem res duae, macies et tussis, coniunctae sunt in Antholog. Lat. (Meieri) 1631.

---

*) Ut pauca de multis afferamus, a desiderio: Prop. IV, 3, 27. s. Diceris et macie vultum tenuasse, sed opto E desiderio sit color iste meo. I, 5, 21. Aut cur sim toto corpore nullus ego. I, 9, 29. Qui non aute patet, donec manus attigit ossa. II, 11, 17. Quid tibi iucundum est siccis habitare medullis! Ovid. Her. III, 141. Utque facis, coges; abiit corpusque colorque. XI, 27. Fugerat ore color: macies adduxerat artus — Metam. III, 396. s. Attenuant vigiles corpus miserabile curae Adducitque cutem macies et in aera succus Omnis abit; — a veneficiis Horat. Epod. XVII, 21. s. Fugit iuventus et verecundus color Reliquit ossa pelle amicta lurida; Tuis capillus albus est odoribus; — a re venerea Prop. II, 22, 21. s. Sed tibi si exiles videor tenuatus in artus, Falleris: haud unquam est culta labore Venus. Catull. LVIII. Gellius est tenuis. Quidui? cui tam bona mater Tamque valens vivat tamque venusta soror — Qui ut nihil attingat nisi quod fas tangere non est Quantumvis quare sit macer invenies. Ovid. Am. I, 6, 5. Longus amor corpus tales tenuavit in usus Aptaque subducto corpore membra dedit.

**) Cfr. Lucan. Phars. VI, 512. s. — tenet ora profanae (Erichthus) Foeda situ

Ipsi cernitis ecfututus ut sim
Confectusque macerque pallidusque —
Defecit latus et periculosam
Cum tussi miser exspuo salivam.

At neque alibi, quod sciamus, mortuorum corporum macies describi solet, neque hic attinebat quidquam mortuae habitum adumbrare, cum ipsa mors satis esset ante oculos posita. Contra nihil fit frequentius quam ut, si cuius verba afferuntur, sive sequitur sive antecedit oratio, forma loquentis et species corporis commemoretur. Quod si apud ipsum Propertium rarius reperimus, idcirco mirum non est, quia is loquentes raro inducit. Sed tamen is quoque IV, 7. in., priusquam orationem Cynthiae refert, qualis ea fuerit exponit:

7. Eosdem habuit secum, quibus est elata capillos
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit,
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summaque Lethaeus triverat ora liquor.
Spirantisque animos et vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus. —

et III, 3, 13. s. Cum me, inquit, Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra.

et I, 3, 34. Cynthiam loquentem sic inducit.
Sic ait, in molli nixa toro cubitum.

Item Catullus XLV. et Septimii et Actes habitum describit, cum

---

macies. Horat. Epod. VIII, 5. — inter aridas nates — 9. femur exile. Anthol. Lat. (Meieri) 1667. Cuius viscera non aperta Tuscus Per pellem poterit videre haruspex. Martial. III, 93. Cum tibi trecenti consules, Vetustilla — Pectus cicadae crusculumque formicae.

verba eorum profert; LXIII. Atyn prius cum tremore dicentem facit vs. 11.

Canere haec suis adorta est tremebunda comitibus, —

deinde vs. 49. maesta voce:

Patriam allocuta maesta est ita voce miseriter: —

at finita oratione rosea ei labia tribuit vs. 74;

Roseis ut huic labellis sonitus celer abiit.

Apud Tibullum I, 6, 49. sacerdos Bellonae, cum fata dictura est:

Stat (que) latus praefixa veru, stat saucia pectus;

II, 5, 68. Sibylla vaticinata:

Iactavit fusas (et) caput ante comas.

Horatius Epod. V., postquam pueri orationem exposuit, vss. 11. ss. haec addit:

Ut haec trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora. —

Multo vero maior similium locorum numerus apud eos poetas est, qui cum fabulas narrent multos dicentes faciunt; ex quibus hic satis erit ex Ovidii Fastis haec attulisse.

Fast. I, 99. Ille (i. e. Ianus) tenens dextra baculum clavemque sinistra
Edidit hos nobis ore priore sonos.

ib. 177. Tum Deus incumbens baculo, quem dextra gerebat,
Omina principiis, inquit, inesse solent.

II, 503. ss. Pulcher et humano maior trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via
Et dixisse simul —

III, 171. — — — sic posita dixit mihi casside Mavors,
Sed tamen in dextra missilis hasta fuit.

Denique, ut alia mittamus, quod forma etiam et verbis Propertiano versui similius est,

Fast. V. 193. s. Sic ego: sic nostris respondit Diva rogatis.
Dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas.

Quodsi in his aliisque innumerabilibus exemplis qualis quisque dum loquitur fuerit perscribitur, quid est cur lenae Propertianae foeda macies oratione exposita non memoretur, cum praesertim tali mulieri talis oratio maxime sit consentanea, quaeque ex praeceptis eius nascitur indignatio turpitudine praecipientis mirum in modum augeatur? — Quo vero iure versum 70. negatur cum proximis esse coniunctum? Nam sordida inopia et pergula, ut apud Petronium Sat. 74. (Hic qui in pergula natus est, aedes non somniat), et algenti foco indicatur; eadem autem et ante declaratur tegetibus paternis et post sordidis exequiis, ut omnem hunc locum in eadem re consumi appareat. Nec dubium est, cur hic potissimum ea res exponatur. Quod enim Ovidius Am. I, 8, extr. a dis petit ut pro turpibus consiliis lenae tribuatur — nullosque lares inopemque senectam — id Propertius deorum beneficio narrat esse datum.

Sextae elegiae Luettiohannes medios versus, qui sunt a vs. 11 — 68.

Musa Palatini referemus Apollinis aedem —
— Una decem vicit missa sagitta rates. —

ipsos integrum esse carmen atque a ceteris separandos, ut duo fiant ex uno carmine, arbitratur. Nam primum, si una esset ele-

gia, non posse nisi ad ludos quinquennales Actiacos, qui anno a. Ch. n. 16. celebrati sint, praeparandos referri, quia coniunctivi versus 71. et sequentium:

Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditiaeque fluant per mea colla rosae,
Vinaque fundantur praelis elisa Falernis,
Terque lavet nostras spica Cilissa comas cett. —

et futurum versus 85.

Sic noctem patera, sic ducam carmine —

de actis iam ludis accipi nequeant: at nec Sicambrorum eo iam anno potuisse fieri mentionem, quippe qui exeunte illo anno in ditionem venerint; nec ludos eos usquam in hac elegia memorari. Deinde versum 11. et 67. adeo esse similes initiis vel clausulis similium carminum, ut in media elegia locum non habeant. Tum Philetam et Callimachum, qui in altero disticho memorentur:

Cera (vel: serta) Philetaeis certet (vel: certent) Romana corymbis,
Et Cyrenaeas urna ministret aquas. —

si amatorium scribatur carmen, recte memorari, non item, si gravius argumentum tractetur. Contrarium non effici versu 69:

Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo —

cum nec bella prius narrentur, sed aedes Apollinis Palatini referatur (vs. 11. et vs. 67. Actius hinc traxit Phoebus monumenta —) plurimumque loci Apollinis oratio obtineat, nec bella illa eadem elegia celebrata voculae iam et nunc sint indicio (in vs. 69. et 71.). Sed ne vate et sacris quidem, quae sint in vs. 1. (Sacra facit vates —), effici contrarium, cum ea per εἰρωνείαν quamdam etiam de leviore illo quod a versu 69. sequatur carmine intelligi possint. In qua argumentatione hoc primum

satis mirari non possum, cur hanc elegiam ad ludos Apollinis Actiaci referant, quorum non verbo mentio iniiciatur. Luettiohannes nos ad Hertzbergium (Quaest. Prop. p. 28. et 228), hic ad Barthii Vitam Propertii (p. LXXXVI.) delegat, ille autem, Huius ipsius rei (i. e. devictorum Sicambrorum), inquit, meminit quoque Propertius celebri illa eleg. 6. libri 4., quae adeo novissimam continet temporis notam in Propertii carminibus, ut probabile sit hanc elegiam vel hoc ipso anno vel sub finem praecedentis anni mense Septembri scriptam esse, quo tempore nimirum Ludi quinquennales ab Augusto in memoriam Actiacae victoriae instituti celebrati fuere sec. Dion. Cass. l. LIV. Nam potuit Propertius tanquam vates etiam de re certe sperata et proxime futura canere: Ille paludosos memoret cett. Quae res sit nemo non videt. Quod unus de tempore eius carminis satis diffidenter opinatur, id alter pro certo sumit, tertius vero eo ad ipsum carmen oppugnandum et discerpendum abutitur. Coniunctivis autem illis et futuro Propertius non modo ad ludos, sed ne ad Apollinem quidem celebrandum, verum ad convivii hilaritatem et Augusti victorias laudandas adhortatur; quae adhortatio in omne pariter tempus conveniebat, non in id potissimum, quo ludi illi Apollinares instabant. Verum tamen vel ad ludos illos, cum sollemnes et stati essent, omni tempore poterat celebrandos hortari; nisi forte Ovidium statuas Fast. V, 597.

Sollemnes ludos Circo celebrate, Quirites!

de Marte Ultore ante ipsos eius ludos scripsisse, aut ad Matronalia rite agenda III, 253.

Ferte deae flores: gaudet florentibus herbis
Haec dea: de tenero cingite flore caput. —

ante Calendas Martias adhortatum. Sed satis de ludis. Quid sequatur Propertius aperte profitetur vss. 11. et 67. quibns se dicit causam aedis Apollinis Palatini explicare. Neque est cur

aliud quaeramus. Tale enim carmen et X, IX, IV, II. est simile et quam quod maxime eius qui sacra diesque et cognomina prisca locorum canit. Id autem cum post id tempus possit scriptum esse quo Sicambri pacati sunt, ex temporum rationibus nihil promi posse apertum est quo duo esse carmina, non unum comprobetur. Sed ne X. et IV. quidem elegia quidquam efficitur, etsi 10, 1.

Nunc Iovis incipiam causas aperire Feretri, —

et 4, 1.

Tarpeium nemus et Tarpeiae turpe sepulcrum
  Fabor —

huius elegiae versui 11. Musa Palatini referemus Apollinis aedem; — 10, 45. s.

Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri
  Omine quod certo dux ferit ense ducem —

et 4, 93.

A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus —

huius versui 67. Actius hinc traxit Phoebus monumenta cett. — admodum similes esse apparet. Quid enim? num similium carminum similia omnium exordia sunt vel clausulae? — Ne apud Propertium quidem, cuius IV, 2. ab interrogatione incipit:

Quid mirare meas tot in uno corpore formas? —

et in Mamurii artificis mentionem desinit:

At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae
  Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam docilis potuisti fundere in usus.
  Unum opus est, operi non datur unus honos. —

IV, 9. etsi concluditur similiter, ab ipsa tamen narratione ordi-

tur. Multo vero magis Ovidius in Fastis initia singulorum locorum, qui his sunt elegiis similes, variat, etsi hic quoque, ut rei natura librique perpetui ordo fert, saepissime a re ipsa temporum adiunctis rationibus principium sumit. Tum enim a precibus dei vel deae alicuius orditur, ut III, 167. VI, 249; tum ab interrogatione aliqua et consilio, ut II, 425. s.

Nupta, quid exspectas? non tu pollentibus herbis
  Nec prece nec magico carmine mater eris.
Excipe fecundae patienter verbera dextrae; —

tum a loco eius, de quo narraturus est, sacelli, ut I, 637.

Candida de niveo posuit lux proxima templo
  Qua fert sublimes alta Moneta gradus:
Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam; —

tum, ut alia multa mittamus, ita ad causam accedit, ut prius exspectationem legentium gravitatisque rei opinionem moveat. Nam II, in. priusquam unde Februarius mensis dictus sit exponit maiorem se iam materiam quam olim elegis amplecti profitetur Germanicique gratiam captat, et II, 119., ubi dicturus est quo die Augustus Pater Patriae sit salutatus, ingenium se deficere queritur Homerique spiritum exoptat, et V, 545. cum de templo Martis Ultoris loqui instituit sidera quasi reverentia mota ei diei fingit cedere, quo illud ab Augusto dedicatum sit. Nec casu fieri videtur, ut in his tribus exemplis sicut hic apud Propertium ad Caesaream domum res perducatur, videlicet quia quaecunque eam attingant praeter cetera sint efferenda. Nam id ipsum Propertius efficit sacerdotis persona suscepta, ut Horatius C. III, 1, in. cum sacerdotis partes agit carmina non prius audita se cantaturum aperte declarat. Neque aliter, ut in Fastis subsistamus, res se habet in clausulis. Etsi enim singuli loci saepius renovatione rei expositae terminantur aut, nulla singulari addita conclusione, ipsa expositione definiuntur, non raro tamen hoc ipsum

incidit, ut extremo loco laudatio aliqua Caesareae domus adhibeatur. Quo consilio non solum singula disticha adduntur, ut Fast. II, 637. Charisiorum descriptionem pieque ea celebrandi adhortationem Augusti admonitio excipit:

Et, Bene nos, Patriae, bene te, Pater, optime Caesar!
Dicite, suffuso per sacra verba mero —

aut in exeunte libro primo, Pacis sollemni memorato, salutis publicae vota in domum Caesaream diriguntur:

721. Utque domus quae praestet eam, cum Pace perennet
Ad sua propensos vota rogate deos: —

sed usurpantur etiam plurium versuum conclusiones, ut I, 613. ss., postquam de nomine Augusti dictum est, ei heredique eius optima quaeque hunc in modum optantur:

Augeat imperium nostri ducis, augeat annos,
Protegat et vestras querna corona fores.
Auspicibusque deis tanti cognominis heres
Omine suscipiat, quo pater, orbis onus; —

et I, 285 ss. iis, quae de Iano sunt exposita, Germanici laudatio bonaque pro eo suscepta vota succedunt:

Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi
Tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.
Iane, face aeternos pacem pacisque ministros,
Neve suum praesta deserat auctor opus.

Augere hunc numerum exemplorum non difficile, sed supervacaneum est; cernitur enim non inusitatum fuisse varia argumenta in Caesarum laudes deflectere. At ex hoc ipso genere haec est Propertii conclusio. Quod autem non simpliciter et universe nescio qui ad Augustum laudandum impelluntur, sed convivium

fingitur, in quo qui originem aedis Palatinae explicavit canendo fessus genio indulgeat, potosque convivas ad Principis varias laudes celebrandas impellat: quis non in eo summam poetae artem agnoscat simplicitatem narrationis argumenti ac sensuum varietate adornantis?

Cum enim post narrationem Actiacae victoriae sacrificio simulato praeparatam repente se tanquam in convivium transfert idque quasi magister quidam bibendi regit et moderatur et ut Eryximachus apud Platonem Amorem ita Augustum ut ordine omnes collaudent constituit, legentium animos religione et attentione imbutos ad admirationem erigit, spe confirmat, indignatione permovet, laetitia grataque Apollinis recordatione implet, mox elatam summamque laetitiam ad convivalem hilaritatem inflectit, ut paene eadem affectuum series percurratur atque in illo celeberrimo Horatii carmine I, 37. (Nunc est bibendum cett.), nisi quod Propertius commiserationem eam omittit, qua ille carmen egregie concludit, ordinemque contrarium adhibet, cum convivii hilaritatem extremo, non primo loco exprimit. Quid igitur est cur quae in uno carmine summa merito praestantia existimatur, in altero tantam in reprehensionem incurrat, ut totum carmen discerpendum videatur? — Neque enim verendum est ne extremus locus a superiore carmine dissideat. Quid enim narratur? Definitur quo classes convenerint (15 — 20) et quae classes (21—24), describitur quomodo acies instructae sint (25—26), inducitur Apollo eiusque oratio, qua ut imperator ante proelium milites ita Augustum victoria promittenda confirmat animumque eius erigit, profertur proelium commissum, hostes fugatos, Cleopatram fugisse ipsamque sibi mortem conscivisse narratur: quid tandem id est nisi bellum vel ut poetae saepe pluralem dicunt bella canere, si non ut epici at tamen ita ut lyrici poetae bella canunt? Atque ea quidem omnia eo consilio narrantur, ut cur sit Apollini Palatina aedes dedicata ostendatur, sed tamen hic non quaeritur quo consilio sed quid narretur. Quod ne concedamus cum Luettiohanne epicum quoddam poema excogitare, quod Pro-

pertius inchoatum abiecerit, quod poema neque ab alio quoquam neque usquam ab ipso Propertio memoratur, id profecto prorsus est hariolari. Nam quod ille II, 10. epicum se ait poema compositurum, id non maioris momenti est, quam quod idem III, 5, 25. ss.

> Tum mihi naturae libeat perdiscere morem,
> Quis deus hanc mundi temperet arte domum cett.

grandiore se aetate physicis et philosophiae operam daturum declarat, unde non facile quisquam coniiciat eum tanquam alterum Lucretium etiam de natura rerum scripsisse.

Ac prorsus frustra negatur nunc et iam in carminibus ita dici, ut non id omne tempus in quod carmen incidat complectantur, sed posteriorem eius temporis partem priori opponant. Quod etsi multo fit rarius, tamen cur ita fiat non obscurum est. Plerumque enim lyrici poetae nisi quid factum sit narrant uno tenore quid sit aut quid sentiant exponunt, ut illis particulis si utuntur id quo dicunt tempus a superiore aliquo disiungant. Ubi autem ita carmina instituunt, ut dum dicunt fiat aliquid atque agatur atque ad id quod agitur verba et sententias accommodant, ibi et praesens tempus verbi et illa adverbia ad proxima quaeque referunt eaque iis quae in iisdem carminibus prius acta vel dicta sunt opponunt. Cuius rei si apud Propertium alia desunt exempla, causa in hoc ipso est posita, quod non multa eiusmodi carmina habet. At Ovidius Amor. III, 2, 43.

> Sed iam pompa venit, inquit, linguis animisque favete —

ut hoc ipsum momentum temporis ei tempori opponat, quo se in eodem carmine facit initium ludorum exspectantem, atque aliud rursus posteriusque tempus demonstrat vss. 63. s.

> Maxima iam vacuo Praetor spectaculo Circo
> Quadriiuges aequo carcere misit equos —

rursusque aliud vss. 77. ss.

Jamque patent iterum reserato carcere postes.
Evolat admissis discolor agmen equis.
Nunc saltem supera, spatioque insurge patenti.
Sint mea, sint dominae fac rata vota meae. —

Atque item Am. I, 6, 57.

Aut ego iam ferroque ignique paratior ipse
Quem face sustineo tecta superba petam —

ita dicit, ut id tempus quo de obsequio ianitoris desperat ab eo tempore quo sibi eius gratiam hoc ipso in carmine conciliaturus videbatur seiungat. Nec Catullus in nobilissimo illo epithalamio LIX. cum vs. 184. dicit

Jam licet venias, marite —

idem tempus significat de quo ante dixit aut idem, de quo mox vs. 195.

Jam venis, inquit, bona te Venus
Iuverit.

Reliquum est de Phileta et Callimacho. Sed illum quidem non solum amatoria carmina scripsisse et Battin quamdam vel Bittin celebrasse constat, sed satis verisimile est ea etiam composuisse quae ab huius eligiae genere non multum differrent. Nam qui accuratissme de eo scripsit Nicolaus Bachius (Philetae Coi Hermesianactis Colophonii atque Phanoclis reliquiae. Halis Saxonum 1829. pag. 18.) non modo elegos illum et hexametros et iambos docet conscripsisse, sed etiam ex illis hexametris vel elegis nonnullos libros inscripsisse: Δήμητρα, Ἑρμῆ, Παίγνια, Ἐπιγράμματα; ex quibus priores certe duos admodum probabile est in religionibus exponendis esse versatos. Praeterea Propertius, ut Hertzbergius Quaest. Prop. p. 194. monet, hic versuum magis rationem sermonisque elegantiam quam argumenta et caussas dicere potest, cum illius prae se fert imitationem. Quamquam

si verum quaerimus ne haec quidem elegia ab amatorio illo et solito Propertii genere plane aliena est. Extrema enim parte causa si non ad amorem at tamen ad convivium amatoriis deliciis non alienum deducitur; id ipsum autem amatorii poetae existimamus, non solum quae in ipso amore posita sunt celebrare, sed diversissima et disiunctissima quaeque omnemque, ut ita dicam, rerum naturam ad amorem dirigere omnibusque quae dicat quasi notam quamdam amoris imprimere. Ac sic Propertius porticum ab Augusto apertum II, 31. ita narrat, ut amicae cur tardior veniat rationem reddat; nova bella Augusti novasque quas exspectat victorias III, 4. ita celebrat, ut animo triumphum praecipiat, quem in sinu carae nixus puellae spectaturus sit. Sed de Phileta hactenus. Callimachum vero quis hic appellari miretur, qui meminerit Αἴτια eius ita fuisse scripta ut tota in eodem genere atque haec elegia essent posita? Sive enim, ut aliis placet, perpetuum illum fuit poema, sive in singulis elegiis consistebat, ut Diltheius (De Callimachi Cydippa. Lipsiae 1863. p. 105.) ex his ipsis Propertii quarti libri elegiis coniicit: hoc certe nihil habet dubitationis, quin singulorum nominum et institutorum causae fuerint explicatae, unde nomen libro inditum est, illud vero dubitatur etiam, utrum amores hoc eodem libro tractaverit, ut Diltheio (p. 74. ss.) et O. Schneidero (Prolegg. in Αἴτια) videtur, an praeter illum et hymnos et epigrammata alias etiam atque amatorias elegias conscripserit, ut Valckenaerius, Ernestius, Bentleius malunt. At hac Propertii elegia nihil aliud agitur quam ut explicetur, cur Apollini Palatino templum dedicatum sit.

In septima elegia Luettiohannes (pag. 40. s.) post vs. 22. (Foederis heu taciti! cuius fallacia verba Non audituri diripuere Noti) id desiderat, cui proximus versus:

At mihi non oculos quisquam inclamavit euntis —

apte opponatur. Idem vss. 35—38:

Lygdamus uratur, candescat lamina vernae:
Sensi ego cum insidiis pallida vina bibi:
At Nomas arcanas tollat versuta salivas:
Dicet damnatas ignea testa manus.

quia mandatum contineant, ex mediis querelis tollendos et cum aliis mandatis coniungendos putat, at ante vs. 39.

Quae modo per viles inspecta est publica noctes
Haec nunc aurata cyclade signat humum —

vult accuratius descriptam fuisse novam amicam, quia transitus a foedi funeris adumbratione ad illam depingendam factus per pronomen relativum fractus sit et elumbis. — Tum vss. 51—54.

Jure ego Fatorum nulli revolubile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet,
Me servasse fidem. Si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis et super ossa cubet. —

loco movet, quod iurisiurandi servati testificatio neque ad superiores neque ad inferiores sententias quidquam attineat, neque in ipsis sit quidquam quo causalis vis proximi versus spectet:

Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem —;

neque enim exponere Cynthiam cur in vs. 52. tergeminum canem dixerit. Sed ne ad vs. 50. quidem:

Longa mea in libris regna fuere tuis —

illud nam posse referri: videri igitur ait inter vs. 50. et 55. aliquam sententiam intercidisse, cuius versu 55. ratio redderetur. Itaque inter vs. 22. et 23. collocat vss. 51—54, inter vss. 34 et 39. unam lacunam notat, alteram inter vss. 50. et 55., versus autem 35—38. inter 76. et 77. transfert. Sed nihil refert quem ipse ordinem constituat: illud unum videndum est, quo iure, immo qua iniuria eum qui traditus est perturbet.

Negat at in vs. 23. iustam habere oppositionem. Cur neget non addit. Si quid tamen licet coniicere, hoc dicere videtur, mihi quod est post at, nemini alii opponi, cum prius etiam Cynthia ipsa de se loquatur. Ac saepe quidem pronomen personale additur ita ad coniunctionem at, ut alii personae opponatur, sive ea oppositio ipsis personis continetur, sive cum iis totas simul sententias amplectitur. Illud est in IV, 3, 29:

At mihi cum noctes induxit Vesper amaras —

ubi Arethusa se Lycotae opponit; III, 25, 11.

At te celatis aetas gravis urgeat annis —

ubi Propertius Cynthiam sibi opponit; II, 33, 21.

At tu quae nostro nimium placata dolore es —

ubi Isidi opponit Cynthiam; II, 16, 13:

At tu nunc nostro Venus o succurre dolori —

ubi Cynthiae Venerem; II, 5, 17:

At tu per dominae Iunonis dulcia iura
  Parce tuis animis vita nocere tibi —

ubi Cynthiam sibi; item I, 6, 31:

At tu seu mollis qua tendit Ionia seu qua
  Lydia Pactoli tingit arata liquor —
— Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
  Vivere me duro sidere certus eris —

ubi cum ante iam de misera Propertii conditione dicatur omnem oppositionem in personis positam apparet. — Contra et persona personae et simul sententia sententiae opponitur III, 19, 25:

At vos innuptae felicius urite taedas —

quae enim aliis puellis optatur felicitas opponitur Scyllae quae narrata est calamitati; item III, 15, 43.

> At tu non meritam parcas vexare Lycinnam —;

nam adversativa ratio intercedit inter Dirces saevitiam de qua prius dictum est atque eam quae a Cynthia optatur clementiam; item II, 29, 14:

> At tu nescio quas quaeris, inepte, fores —,

quia Cynthiae fidei Propertii infidelitas opponitur; item II, 26, 11.

> At tu vix primas extollens gurgite palmas
> Saepe meum nomen iam peritura vocas —;

nam Propertio Cynthia ita opponitur, ut simul alterius precibus vota alterius opponantur; item II, 25, 9:

> At me ab amore tuo deducet nulla senectus —

cum enim alii homines resque aliae deficere tempore dicta sint, se Propertius semper asseverat in amore permansurum; similiterque suam fidem aemuli mobilitati opponit II, 24, 33:

> At me non aetas mutabit tota Sibyllae —.

Sed praeter hos locos sunt alii, ubi pronomen personale non idcirco ad particulam adversativam est additum, quod oppositio aut tota aut ex parte in ipso sit posita, verum adversativa ratio illud plane non amplectitur. Nam cum IV, 2, 47. dicitur:

> At mihi quod formas unus vertebar in omnes —

quia ante idem Vertumnus quot varias formas sustineret exposuit, non se aliis, sed suis formis nomen suum opponit; idemque cum vs. 61. s.

> At tibi, inquit, Mamuri, formae caelator ahenae
> Tellus artifices ne terat Osca manus —

non hunc Mamurium pristini ligneique signi auctori, quem nullum memoravit, sed ligneo signo opponit aheneum. Atque eodem ex genere est IV, 1, 135.

At tu finge elegos —,

quod antequam dicit horoscopus, neminem alium aliud agere iussit, sed opponit forensi operae, qua modo interdictum esse Propertio ab Apolline narravit, elegias, quas cum Apolline eum iubet componere; deinde III, 18, 31:

At tibi nauta pias hominum qui traiicis umbras —

ubi oppositio non est inter Charonta et nescio quem deum vel hominem, sed inter mortem omnibus communem atque illum ad astra escensum, qui de Caesare (atque ut nobis videtur etiam de Claudio, etsi aliter placet Hertzbergio) praedicatur, Marcello mortuo optatur; tum III, 11, 71. s.

At tu sive petes portus seu navita linques,
Caesaris in toto sis memor Ionio —

ubi cui nautam oppositum putes non facile reperias, sed Caesar Apollini opponitur; tum II, 2, 2.

At me composita pace fefellit Amor —

cui versui haec antecedunt:

Liber eram et vacuo meditabar vivere lecto —

ut hic quoque ipse de se loquatur Propertius; tum I, 17, 25. ss.

At vos aequoreae formosa Doride natae
Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus —

quas ante preces cum dicat de morte sua quae instare videatur,

ei salutem quam petit, non deas quas implorat cuiquam opponit; denique I, 5, 9. s.:

Quae si forte tuis non est contraria votis:
At tibi curarum millia quanta dabit! —

nam obsequium eiusdem est Cynthiae quae curarum auctor est. — Hoc de usu at particulae Dietschius ad Sallust. Iug. 26. (in editione anni 1845) disputat, qui quidem et solemne esse docet, ut ipsam particulam statim nomen proprium vel alia personae significatio, inprimis pronomen excipiat, et oppositionem addit haud raro rei esse, non personae. Sed ad hanc similitudinem hic quoque dictum est, neque est quaerendum cui ipsa se opponat Cynthia, sed quam rem cui rei opponat. Cum autem ab hoc versu exponere incipiat, quantam mortua in contemtionem venerit, supra quae viva Propertio grata fecerit recenseat: quis dubitet quin at particula haec ipsa ratio declaretur? — At quae proxime antecedunt, iis iam non de pristinis beneficiis loquitur sed de foedere violato queritur; haec enim vis est illorum:

Foederis heu taciti! Cuius fallacia verba
Non audituri diripuere Noti. —

Audio; sed oppositio non semper ad proxime quaeque antecedentia, sed haud raro ad gravissima quaeque ex antecedentibus spectat, ut inter ea quae oppositionem sustinent alia levioris momenti intercedant. Hunc in modum III, 20, 5. ss. haec dicuntur:

Credis eum iam posse tuae meminisse figurae,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus qui potuit lucro mutare puellam.
Tantine his lacrimis Africa tota fuit?
At tu stulta deos, tu fingis inania verba —;

nam inter oppositionem perfidi amatoris fidaeque amicae medio disticho aliena sententia interiecta est, quae etsi cum causa co-

haeret ad ipsam tamen oppositionem non pertinet; extremum enim hexametrum cum Hertzbergio sic accipimus, ut Cynthia deos iurisiurandi esse vindices falso putare ipsaque se inanibus amatoris excusationibus fallere dicatur. Item II, 9, 10. cum illud dicitur:

At tu non una potuisti nocte vacare —

Cynthia opponitur Briseidi, sed ea memorata prius quam oppositio infertur hoc distichon interpositum est:

Tunc igitur veris gaudebat Graecia natis,
Tunc etiam felix inter et arma pudor. —

Item IV, 3, 29. Arethusa suam vitam vitae Lycotae ita ex adverso ponit:

At mihi cum noctes induxit Vesper amaras —

ut prius aperiat unde viri maciem ortam velit. At III, 15, 42., ubi quae a Cynthia poscitur clementia Dirces saevitiae opponitur, inter huius descriptionem illamque postulationem multis etiam distichis quas illa dederit poenas exponitur. — Nihil igitur est cur in at oppositionem desideremus. Sed non minus errat Luettiohannes cum vss. 35—38. ideo loco movet, quod quae contineant mandata cum ceteris mandatis coniungenda sint. Quid enim? infra quae vult fieri ea Cynthia ipsi Propertio aperte mandat et committit utque exsequatur impellit; tibi nunc mandata damus, inquit, antequam tertia verbi persona utitur:

73. Nutrix in tremulis ne quid desideret annis —
76. — Ne speculum dominae porrigat illa novae —

at post hos versus imperativos adhibet: ure, desine, pelle, scribe, sperne —; accedit, ut quae ibi mandantur, placatum omnia ac dolore magis et pietate quam ira commotum animum indicent atque ab indignatione et obiurgatione ad commiserationem et

indulgentiam revocata oratione proferantur: supra quae vult fieri, ea et iracundia movetur ut velit nec tam mandat cuiquam quam optat, cum non Propertio ut Lygdamum et Nomadem torqueat committat, sed eos detestetur. Tormenta autem in detestando saepissime appellari nemo nescit qui Plautum legit, apud quem de servis illud abi in malam crucem frequentissime dicitur. Quae detestatio ut a mandatis illis aliena est ita ei ubi posita est loco maxime convenit. Quid enim magis est consentaneum quam si quis alium detestetur ibi potissimum detestari ubi culpa eius aliqua memorata recenti memoria ad detestandum permoveatur? Quod etsi ipsum per se satis est perspicuum, confirmatur idem paene omnibus locis quibus Propertius — ut in hoc consistamus — similibus precibus utitur. Sic enim IV, 3, 19:

Occidat, inquit, immerita qui carpsit ab arbore vallum! —

postquam descripsit in quibus quantisque malis Arethusa bellorum causa versaretur; sic II, 33, 3.

Atque utinam pereat Nilo quae sacra tepente
  Misit —

ubi Cynthiam Isidis causa iam decem noctes a se abfuisse questus est; sic II, 18, 27:

Illi sub terris fiant mala multa puellae
  Quae mentita suas vertit inepta comas —

cum eandem Cynthiam quod suos crines fingeret obiurgavit; sic II, 9, 475:

Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
  Ille vir in medio fiat amore lapis! —

postquam versu 46. Cynthiae, non licet, inquit esse tuum, scilicet propter aemulum potiorem; sic I, 7., postquam ante mortem

mari et tempestate sibi instantem deploravit, versu 13. haec addit:

Ah pereat quicunque rates et vela paravit! —

sic I, 11. postquam et ante quantum metueret a Baiis exposuit et proximo rursus qui antecedit versu multis illa dare litora discidium affirmavit, postemo hac detestatione vs. 30. utitur:

Ah pereant Baiae crimen amoris aquae!

Nec multum differt, si verum quaerimus, quod dicitur III, 8, 37. s.

At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
  Sit socer aeternum nec sine matre domus! —

qui versus ab amatoriae aemulationis commemoratione uno disticho seiunguntur:

Gaude quod nulla est aeque formosa: doleres,
  Si qua foret: nunc sis iure superba licet —

quo mala eius rivalitatis augentur et amplificantur. At IV, 5, 75: quod dicitur:

Sit tumulus lenae curto vetus amphora collo — cett.

etsi decem versus intercedunt inter has preces et scelus lenae in quo totum fere carmen consumitur narratum, iis ipsis tamen versibus illud narratur evenisse, quod nisi evenisset optandum erat ut eveniret, mortem dico miserrimam, qua di in ipso scelere illam puniverint, ut eventus optationi quasi praecurrat. Semel igitur apud Propertium detestatio non excipit ipsam malorum vel scelerum unde proficiscitur commemorationem, II, 29, 12.

Intereat qui nos non putet esse deos! —

Sed hic Propertius non perpetuo sermone utitur, sed unum de Amoribus loquentem inducit. Quamquam hic quoque cur eae malae preces suscipiantur et postmodo ab eodem Amore explicatur et paullo ante ab ipso poeta narratum est. Quodsi apparet ex iis quae attulimus detestationum eam ipsam propriam esse sedem, ut a sceleribus quae quis commiserit atque a malis iis quae effecerit ad eas transeatur: cur hic Cynthia a misera sua morte et sepultura ad auctores eius detestandos non apte transire videatur? — Quam vero non novit Luettiohannes vel animi humani vel elegiae naturam, si ante vs. 39. novam amicam accuratius descriptam fuisse suspicatur! Qua de re quo rectius existimemus, videamus quomodo Propertius de iis, quibus aemulatur, dicere soleat.

III, 20. in. Credis, inquit, eum iam posse tuae meminisse figurae,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo?
Durus qui lucro potuit mutare puellam.
Tantine his lacrimis Africa tota fuit?

II, 24, 23. ss. Contendat mecum ingenio, contendat et arte,
Imprimis una discat amare domo.
Si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat,
Tetra venena libens et naufragus ebibat undas
Et nunquam pro te deneget esse miser —
Quos utinam in nobis, vita, experiare labores —
Iam tibi de timidis iste protervus erit, —
Qui nunc se in tumidnm iactando venit honorem. —

II, 25, 21. s. Tu quoque qui pleno fastus assumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet

29. s. Tu tamen interea quamvis te diligat illa
In tacito cohibe gaudia clausa sinu. —

II, 21, 4. ss. Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere: nihil pudet? aspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo es — cett. —

II, 16, in. Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
Maxima praeda tibi, maxima cura mihi —

II, 9, 23. Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit —
28. — Hic ubi tum, proh di, perfida, quisve fuit?

47. s. Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis! cett.

I, 8, 3. Et tibi iam tanti quicunque est iste videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis. —

Quid igitur? sive esse queritur qui sibi praeferatur, sive eum detestatur, sive aut ipsum ab amore puellae aut hanc ab eius amore revocat: quid faciat aut fecerit aut facturus sit aemulus dicit interdum, qui et qualis sit tam raro et tam breviter attingit, ut vix praetorem semel, semel maritum appellet. Quid quod descriptio aemuli vel ab ea elegia — II, 34. — abest, quae etsi ad Lynceum non de eo scripta est, plura tamen hic quam alibi ad personam aemuli spectant. Atque eadem reliquorum elegiacorum poetarum ratio est. Nam et Tibullus brevissime ubique aemulos memorat:

I, 2, 65. s. Ferreus ille fuit, qui te cum posset habere,
Maluerit praedas stultus et arma sequi. —

5, 17. Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis. —

69. At tu qui potior nunc es mea fata timeto. —
6, 6. — Nescio quem tacita callida nocte fovet.

9, 53. s. At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat adsiduis uxor inulta dolis —

59. Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula vel plures emeruisse viros — cett. —

III, 4, 57. s. Carminibus celebrata tuis formosa Neaera
Alterius mavolt esse puella viri. —

6, 59. s. Non ego, si fugiat nostrae convivia mensae
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte. —

IV, 10, 3. s. Si tibi cura togae potior pressumque quasillo
Scortum quam Servi filia Sulpicia: —

et Catullus (21. 24. 37. 40. 77. 90. 83. 82. 81, 79. 77.) quamquam plura ad aemulos quam de iis ad eos quos amat carmina scripta habet, satis tamen habet Aurelii inopiam et pallorem, Gellii et Lesbii incestos amores, Egnatii candidos dentes paucissimis perstrinxisse; Ovidius vero cum in toto Amorum corpore quinquies alieni amoris mentionem faciat (I, 4. III, 3. 5. 8. 11), semel virum (I, 4.), semel (III, 8) locupletem militem aemulum dicit (nam quem II, 19. III, 4: virum affatur, ei vix aemulatur): alibi ne verbo quidem quem dicat significat. Longum est Heroidas etiam in causam adhibere, quamquam ne inde quidem quisquam aemuli vel aemulae accuratiorem descriptionem proferet; immo vel haec forsitan pluribus quam opus erat disputata videantur: sed attinere arbitrabar exemplorum multitudine planum facere, quam aliena haud raro qui emendare vellent veterum libros iis intruderent quamque inutile esset quid nobis placeret magis quam quid a veteribus observatum esset quaerere. Quamquam hic quidem cui placeat aemulae longior descriptio, qui quidem non plus a carminibus flagitet, quam res et veritas ipsa concedat? Namque in forma et descriptione eius cui aemulare diu-

tius versari neque aemulanti iucundum sit, cum id sit quasi vulnera sua refricare neque is dolor ulla voluptate mitigetur vel leniatur, neque ad animum eius qui amatur mutandum quidquam proficiat, cum vel detorquendo et reprehendendo eam ipsam unde profectus est amor formam repraesentes quemque exstinguere velis amorem magis incendas et augeas. Hoc ita esse, ut iam a coniectura et ratione ad veterum testimonia redeamus, magno documento est Medea, in qua cum omnes amoris stimuli ita a poetis cumulentur, ut tanquam species quaedam atque imago muliebris aemulationis et invidiae informetur, neque apud Euripidem neque apud Senecam neque apud Ovidium in Creusa describenda moratur, sed omnem orationem et cogitationem in suis miseriis, in Jasone, in ultionis voluptate consumit. — Sed venimus ad fidei servatae testificationem (51—54), quae quod cum proximis versibus male cohaereat a Loettichanne post perfidiae Propertii reprehensionem transfertur. Atque illud quidem negari non potest, a perfidia ad fidem facillimum et frequentissimum eum esse transitum, ut haec illi simpliciter opponatur nec quidquam intercedat quo ab una ad alteram animus transducatur. Nam postquam Cynthiae inconstantiam memoravit, se aut servare fidem aut servasse aut servaturum Propertius praedicat et I, 15, 29. ss.

Nulla prius vasto labentur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices,
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura —;

et I, 18, 11. Sic mihi te referas levis ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes —

et I, 19, 5. Non adeo leviter nostris puer haesit ocellis,
Ut meus oblito pulvis amore vacet —

ante quae non mortem se dixit, sed Cynthiae perfidiam metuere;

et II, 6, 41. Nos uxor numquam, numquam me ducet amica:
Semper amica mihi, semper et uxor eris —;

et II, 8, 13. ss. Ergo ego tam multos nimium temerarius annos,
Improba qui tulerim teque tuamque domum,
Ecquandone tibi liber sum visus? —

et II, 9, 25. Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Cum capite hoc Stygiae iam poterentur aquae —;

et II, 21, 19. Nos quocunque loco, nos omni tempore tecum
Sive aegra pariter sive valente sumus —.

Nec dissimile est, quod I, 11, 21. s. sibi Cynthiam cariorem quam parentes ait esse, postquam ante non tam violari fidem ab illa quam se ne violaretur metuere declaravit. Idemque se servaturum fidem asseverat, postquam ne Caesarem quidem ad suam constantiam tollendam satis valere affirmavit II, 7, 7. s.

Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces;

at servasse olim, postquam perfidiam sibi a Cynthia obiici memoravit, II, 20, 9; postquam aemuli de fide detraxit II, 25, 9; ubi ipse fidei et amori renunciavit III, 25, in. Sed tamen est locus huic loco admodum similis I, 8, 21., ubi etsi de ea quam servaturus sit fide, non de ea quam servarit loquitur:

Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae
Quin ego vita tuo limine vera querar cett. —

excipit tamen haec fidei asseveratio similem ignoscentis clementisque animi declarationem:

17. Sed quocunque modo de me, periura, mereris,
Sit Galatea tuae non aliena viae,
Ut te felici praevecta Ceraunia remo
Accipiat placidis Oricos aequoribus —

ut unus locus altero ab omni suspicione satis defendatur. At per desperationem a perfidia ad fidem transitur II, 9, 38. ss.

Tela precor pueri sumite acuta magis.
Figite certantes atque hanc mihi solvite vitam:
Sanguis erit vobis maxima palma meus. —

et II, 17, 15, s. Nunc iacere e duro corpus licet, impia, saxo,
Sumere et in nostras trita venena manus. —

Restat illud nam quod est in versu 55. Quod qui accipiendum sit invitus monstrat ipse Luettiohannes, cum iocans, An Cynthia, inquit, exponit cur tergeminum canem vs. 52. commemoraverit? — Non quo ad canem potissimum vim eius particulae referamus; sed tamen illud recte admonemur rationem reddi cur iuret Cynthia. Iurat, etsi est mortua, et si fallat tumulum suum et ossa devovet, ut qui vivunt caput suum devovere solent, quod et duplex sedes et sors est mortuorum et ipsa in bonarum fidarumque sede mulierum versatur; quorum unum aperte declarat, alterum tectius significat vss. 69. s.

Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores:
Celo ego perfidiae crimina multa tuae —

quibus verbis se quoque maritis sine fraude ut ait annumerat. Neque enim si mortuorum eadem omnium sors esset nec si ipsa esset iam misera, per suam salutem posset iurare. Facile autem intelligitur ossium ac Manium et quietem eandem et supplicia existimari. Similiter Iupiter Thetidi apud Homerum Il. I, 524. ss. aperit cur ita affirmet ut affirmat:

εἰ δ', ἄγε τοι κεφαλῇ κατανεύσομαι, ὄφρα πεποίϑῃς·
τοῦτο γὰρ ἐξ ἐμέϑεν γε μετ' ἀϑανάτοισι μέγιστον
τέκμωρ· οὐ γὰρ ἐμοὶ παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλόν,
οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅ, τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

In elegia octava Luettiohannes vss. 19. s.

Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna
Si sine me, famae non sine labe meae —

post versum 2.

Cum vicina novis turba cucurrit agris —

transponit duabus ductus rationibus, primum quod illis versibus neque impudentia Cynthiae nec tempus accuratius definiatur, etsi cum particula alterum utrum definiri sit indicio; deinde quod in altero versu vicina explicationem non habeat, nisi mox tabernae fiat mentio. Aliter enim hoc fore ut dicatur: non Esquilini montis homines, sed vicorum ei vicinorum ad rixam quae narratur accurrisse. — At sic ea verba accipiamus plane non necesse est. Vicinus enim si dicitur nequaquam ubique cui sit vicinus declaratur, sed aut eius de quo dicitur vicinus aut eius qui loqnitur accipiendus est; velut illud est apud Phaedrum I, 6, 1. — Furis vicini celebres vidit nuptias Aesopus —, hoc apud Vergilium Eclog. III, 53. — tantum vicine Palaemon Sensibus haec imis — res est non parva — repones. Ergo hic cum aliud nihil appelletur quo illud vicina referatur, ad ipsum Propertium referendum est, qui se in Esquilino monte habitasse aperte testatur III, 23. extr.

Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

Neque est quidquam cur illud convivium non in Propertii domo, sed in taberna institutum putemus. Immo quod Cynthia recens a Lanuvino itinere eo irrumpit, quod Lygdamus adest, quod meretrices aufugiunt, Propertius cum Cynthia remanet, ea totidem sunt documenta rem apud ipsum domi agi. Quis vero illud concedet, vss. 19. s. ita demum suo loco fore retinendos si aut impudentia Cynthiae aut tempus illius itineris accuratius definiretur? De impudentia ante non verbum: si quae ad eam referenda sunt, ea sequuntur omnia, ut cur hic quidquam de ea exspectes ne coniectura quidem assequi liceat. Tempus autem ne temporali cum quidem ubique definitur accuratius, sed perquam frequens is usus est eius particulae, ut una re memorata

alteram rem quae in idem incidat tempus afferat. Quemadmodum in eiusdem elegiae initio dictum est:

> Disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
> Cum vicina novis turba cucurrit agris —;

nam eo ipso tempore qui in Esquilino colle habitabant accurrisse dicuntur, quo nocturna rixa incendiique metu suis quisque e cubiculis fugati sint. Similiter hic dum Cynthia magnifico apparatu triumphantis instar per viam Appiam vehitur in obscura taberna eiusdem scilicet viae rixa et clamor mota dicuntur, ut iam veteres explicatores rem explanaverunt. Qualis taberna illa, qualis quorumque hominum rixa fuerit hic quidem non dicitur, sed non dissimile veri est illi similem cauponam dici, in qua Catullus carmine 37. memorat continenter multos otiosos homines sedisse amatoriisque rebus et sermonibus diem contrivisse; rixa autem ipsa Cynthiae praetervectione mota esse videtur, sive aemulantes sibi quemque eius amicitiam vindicasse, sive ut assolet inter eiusmodi homines cum nobilis multique rumoris femina eos convertit de eius Propertiique amoribus verissima et novissima quaeque proferre certatim studuisse existimes. Huiusmodi sermones memorat Propertius etiam III, 25, extr.

> Risus eram positis inter convivia mensis
> Et de me poterat quilibet esse loquax.

In nona elegia Luettiohannes inter vs. 32.

> Et iacit ante fores verba minora deo —

et 33. Vos precor o luci sacro quae luditis antro —

interponit vss. 65. s.

> Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
> Accipit: haec fesso vix mihi terra patet.

Sed mittimus quaerere quam apte eo loco ponantur; nihil enim attinet ubi quidque possit poni quaerere, nisi prius non posse ferri eo quo est positum loco exploratum est. Hoc unum videamus quid contra eam quae tradita est sermonis continuationem proferatur. Reprehendit autem, si illud vix in v. 66. de labore ad fontem expugnandum adhibito accipiatur curque Hercules tam severum puellis imperium ediderit explicari cum Hertzbergio arbitremur, primum quod hexameter quamvis propter anaphorae figuram similem sententiam continere videatur tamen in aliam ac pentameter partem tendat, deinde quod Hercules non terram, sed fontem mulieribus eripuerit. At quis non videt, qua cui in terra aqua interdicatur, eam terram non patere? quae si patuisset, haec ipsa aquae ignisque interdictio ad exilium declarandum non esset adhibita. Quemque offendat pentametri sententia hexametro ἀσυνδέτως opposita? Haec enim est ratio, siquidem Hercules venire se hanc in terram, at eam sibi quasi hospitium recusare declarat. Exemplis vix opus est in re tam frequenti et perspicua; si quis tamen requirat, conferat IV, 65. s.

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.

II, 65, 5. Omnes humanos sanat medicina dolores.
Solus amor morbi non amat artificem.

I, 2, 23. s. Non illis studium vulgo conquirere amantes:
Illis ampla satis forma pudicitia.

Nam anaphora neque est in pronomine demonstrativo bis quidem, sed non bis in initio posito, nec si esset ab oppositione abhorreret, ut ex ipso eo quod modo extremum attulimus exemplo cernitur. — Quodsi illorum versuum eum qui traditus est locum tuemur, non item tuemur versum 42.

Accipite: haec fesso vix mihi terra patet.

Non quo sententia eius ab hoc loco prorsus aliena sit, sed quod omnino idem versus bis in eodem carmine positus, nisi quo consilio sit repetitus apparet, suspicionem movet. Accedit ut in Neapolitano codice sit: Accipit pro Accipite, ex quo imperativus eo consilio factus videtur, ut sermo inter se cohaereret. — At iure nostro rursus tueri videmur vss. 43. s.

> Quodsi Iunoni sacrum faceretis amarae
> Non clausisset aquas ipsa noverca suas —,

quos Luettiohannes ante vs. 67. vult collocatos. Quod enim negat Herculem exclusum esse a fontibus proptereaque clausisset ait perperam pro clauderet esse positum, id quam nihil valeat intelligitur ex vs. 23.

> Sed procul inclusas audit ridere puellas —

et ex vs. 32. Et iacit ante fores verba minora deo —

— neque enim quisquam ante apertas fores ut admittatur flagitat — et ex vs. 34.

> Pandite defessis hospita fana viris —

si quidem quae pandi iubemus ea non dubium est quin clausa sint. Quod autem negat Herculem Iunonis posse nomen dicere quia cuius deae sit hoc fanum nesciat, id si quid esset offensionis etiam translatis iis versibus maneret, si quidem quae ibi dea colatur ne sacerdos quidem patefacit, etsi vs. 55. Interdicta, inquit, viris metuenda lege piatur quae se summota vindicat ara casa. Frustraque ait, si ut Deus sciret Bonae Deae esse fanum hoc quoque sciturum esse ad eius sacra accedere viris non licere. Cum enim mox etsi audivit viris aditum non permitti nulla religione prohibitus vi irrumpat, etiam prius ut admitteretur poterat flagitare etsi et quae dea et quomodo coleretur sciebat. Nihil igitur relinquitur cur illum nescisse putemus Iunonis

ea sacra non esse; cum autem tota oratione id puellis persuadere studeat, ut se ad fontem admittant, ad ceteras quas profert rationes, ad nobilitatem suam et innocentiam illud quoque commode adiungit, ut ne inimicissimam quidem deam aqua se prohibituram admoneat. Quae admonitio cum ceteris argumentis tam bene cohaeret, ut ne excidisse quidem quidquam praeter illum versum 42., cui 66. substitutus est, videatur, ut Luettiohanni placet. Quam enim ille sententiam desiderat aditum sibi postulantis, ea quod in ipso initio orationis est posita (34. s. Pandite defessis hospita fana viris. Fontis egens erro) hic praeter necessitatem redintegraretur. — In postremis duobus distichis:

Sancte pater, salve, cui iam favet aspera Iuno:
  Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
  Sic Sanctum Tatiae composuere Cures —

Luettiohannes Diltheium (De Callimachi Cydippa p. 106. annot.) sequitur, qui ordinem eorum ita invertit, ut quod ultimum erat id paenultimum, quod paenultimum id ultimum faciat. Qui cum quibus rationibus moveatur paucissimis verbis aperiat, ipsa eius verba afferamus. — Transposui, inquit, duo haec disticha; nam antequam — Sancte pater — appellaretur Hercules dictum convenit eum Sanctum esse factum, non postea; nec nisi in ipso exitu id quod posterius posui distichon aptum locum habet. — At quod prius dicit, id ita verum est, si cum nomina vel sacra deorum explicantur prius ea nomina explicari, deinde deos iis appellari et implorari necesse est. Quod quam non sit necesse cernitur ex Ovidii Fastis, qui ubi I, 65. ss.

Iane biceps, inquit, anni tacite labentis imago —

67. Dexter ades ducibus, quorum secura labore
  Otia terra ferax, otia pontus agit —

infra demum a versu 89. de natura et nomine eius disputare incipit, itemque V, 183. Flora implorata —

Mater ades florum, ludis celebrata iocosis
191. Ipsa doce quae sis: hominum sententia fallax —

ad causam eius nominis explicandam transit versu 195:

Chloris eram, quae Flora vocor. Corrupta Latino
Nominis est nostri litera Graeca sono.

Quod autem Sancti appellationem negat nisi in extrema elegia locum habere, id quidem ideo cum veri quadam specie dicit, quod cum alios tum Homericos qui vocantur hymnos similibus deorum qui celebrantur precibus constat terminari: sed valeret illa argumentatio si eas preces sequeretur aliud; nunc quae sequitur nominis explicatio tam propria est huiusmodi carminum conclusionibus, ut magis si alibi esset in exitum transferenda quam removenda inde videatur. Item enim et proximum carmen concluditur:

IV, 10, 45. Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu quia victa suis humeris haec arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis. —

et IV, 4. — A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus:
O vigil, iniustae praemia sortis habes.

In decima elegia Luettiohannes lacunam esse statuit ante vs. 43:

Illi virgatis iaculantis ab agmine braccis *)
Torquis ab incisa decidit unca gula. —

*) Exscripsi hunc versum ita, ut est in editione Hertzbergii, etsi corruptum esse aliquid et hic (in commentariis ad h. l.) suspicatur et omnes, quod sciam, con-

Descriptionem eius pugnae qua torquis Virdomaro erepta esset excidisse putat, quia supra eae pugnae, ex quibus spolia opima relata essent, pluribus sint narratae, hic ne quis quidem spolia hosti eripuerit aperte declaretur. At cum omnis res in eo vertatur, quis ea spolia et a quo retulerit, pugnarum descriptiones nec si adduntur offendunt nec si absunt requiruntur; praesertim cum et variari rei tractationem conveniat et brevitas ibi aptissima videatur ubi ad finem festinat oratio. Quis autem torquem Gallo eripuerit satis significatur versu 39.

Claudius Eridanum traiectos arcuit hostes.

Romani enim, quibus haec elegia scripta est, vix nesciebant spolia opima a duce duci esse erepta.

Reliqua est Regina Elegiarum. Cuius Luettiohannes ante vs. 61.

Et tamen emerui generosos vestis honores —

transfert vss. 65. s. Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem,
Consule quo facto tempore rapta soror. —

quia neque illud Et tamen explicationem habeat, si antecedant vss. 59. s.

Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat et lacrimas vidimus ire Deo —,

et versibus 65. et 66. perturbetur liberorum enumeratio quae sit in vss. 63. 64. 67. 68.

63. Tu Lepide et tu Paulle meum post fata levamen,
Condita sunt vestro lumina nostra sinu. —

---

sentiunt, et ego mihi persuasi. Sed cum earum quae adhuc prolatae sunt emendationum nulla satis placeret codicum malebam verba, quam recentiorum coniecturas proponere.

67. Filia tu specimen censurae nata paternae,
Fac teneas unum nos imitata virum. —

Idem ante vs. 63. collocat vs. 97. s.

Et bene habet; numquam mater lugubria sumpsi:
Venit in exequias tota caterva meas —

quia et sententia eius loci cum superiore liberorum commemoratione cohaereat, neque verba Et bene habet alibi possint satis intelligi. Antecedunt autem hi versus:

95. Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paullum sic iuvet esse senem. —

At melius de iis etiam quos oppugnat locis iudicasset, si satis considerasset quae huius elegiae esset ratio et compositio. Omnis enim eius orationis quae post Paulli consolationem sive a vs. 15. sive, si exordium excipias a vs. 29. orditur, partes sunt duae, quarum inferior in liberorum et mariti mutua commendatione consumitur, superior in genere funebris laudationis versatur. Cum autem per hoc opus, ut Quinctilianus ait, non una via ducatur, Cornelia hunc ordinem in demonstranda vita adhibet, ut primum generis nobilitate memorata, deinde matrimonii facta mentione cum utriusque dignitate morum suorum laudes contexat fidemque matrimonii et in matrem pietatem praedicet, tum ab hac tanquam ad praemia eius ad mortis ornamenta transeat inque iis matris, urbis, Augusti comprobationes et luctus, liberos natos et superstites, fratris honores enumeret. Sic enim haec esse inter se connexa ut putemus et praeceptione eorum qui de arte laudandi scripserunt et similibus aliorum laudationibus vel consolationibus — nam magna pars est consolationis laudatio — adducimur. Nam Auctor ad Herennium III, 7. postquam quomodo ab externis rebus, a corporis commodis, ab animi virtutibus laudari conveniret exposuit, Si interierit, inquit, cuiusmodi mors

eius fuerit (sc. considerabimus) cuiusmodi res mortem eius sit consecuta. — Ac Cicero Partit. Orat. 23, 82. — Neque vero mors, inquit, eorum, quorum vita laudabitur, silentio praeteriri debebit, si modo quid erit animadvertendum aut in ipso genere mortis aut in iis rebus quae post mortem erunt consecutae; idemque De orat. II, 85, 347. Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis, praemia, res gestae iudiciis hominum comprobatae; in quibus etiam felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio tribui laudationis est —. Et Quinctilianus III, 7, 10. Magis est, inquit, varia laus hominum. Nam primum dividitur in tempora quodque ante eos fuit quoque ipsi vixerunt; in his autem qui fato sunt functi etiam quod est insecutum. — At luctum et approbationem cum multitudinis tum optimi cuiusque in laudibus mortuorum poni et Auctor Consolationis ad Liviam Augustam testatur, cum communi omnium ordinum luctu adumbrato vs. 209. ss.

Et voce, inquit, et lacrimis laudasti, Caesar, alumnum,
   Tristia cum medius rumperet orsa dolor.
Tu letum optasti Dis aversantibus omen
   Par tibi, si sinerent te tua fata mori. —

et 215. — Quod petiit tulit ille, tibi ut sua facta placerent:
   Magnaque laudatus praemia mortis habet —;

et Horatius cum C. I, 24, 9. dicit: Multis ille bonus flebilis occidit —.

Itemque liberi omninoque propinqui superstites ut magnum mortis ornamentum memorantur a Tacito Agricol. 44. — Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis adfinitatibus et amicis futura effugisse —, et a Plinio Ep. I, 12, ubi de Corellio Rufo loquitur: Decessit superstitibus suis, florente republica — et hoc scio. Ego tamen doleo. — Quantum autem ad feminarum felicitatem mortis honoribus propinquorum tributum sit, maxime cernitur ex iis,

quae Servius Ciceroni (ad Fam. IV, 5.) Tullia mortua consolandi causa scripsit: Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt: illam quamdiu ei opus fuerit vixisse: una cum republica fuisse: te patrem suum praetorem, consulem, augurem vidisse. —*) Quod si et ex praeceptis illis et ex his exemplis, quorum numerum facile erat cumulate augere, hoc elucet, de luctu hominum, de liberis, de fratre ideo loqui Corneliam, quod ea omnia in suis laudibus ponat: ne Et tamen quidem illud displicere potest, quo a luctu ad liberos transgreditur. Non quo id declaret, quod olim interpretes declarari putabant: quamvis immatura obierit, summos se tamen vitae fructus percepisse; quae quidem saepe sententia profertur, ut Consol. ad Liv. Aug. 447. s.

Quid numeras annos? vixi maturior annis.
Acta senem faciunt: haec numeranda tibi.

vel Tac. Agr. 44. (Et ipse quidem quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. quippe et vera bona quae in virtutibus sita sunt impleverat et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud fortuna adstruere poterat?): hic tamen immaturitas mortis non significatur. Nam quod vs. 56. dicitur: In me mutatum quid nisi fata velis? — id non ad immaturam mortem, sed ad mortem referendum est; hoc enim dicitur: matrem id unum quod reprehendat in filia habere quod mortua sit. Ac ne matris et Augusti luctum de immatura morte accipiamus filiae contra

*) Hoc loco defendi videtur etiam vs. 66. Consule quo facto tempore rapta soror. — Ut enim Tullia etsi erat adolescens propter patris honores tempore i. e. opportuno tempore obisse dicitur, ita Cornelia se propter fratris honores in tempore mortuam praedicare potest. Cui sententiae minime obstat, quod vs. 17. Immatura, inquit, licet, tamen huc non noxia veni. — Immatura enim actate, at honoribus matura obiit, ut hae duae res inter se opponuntur eo quod paullo post attuli Ausonii epitaphio.

naturae ordinem ante parentes mortuae, urbis querelis interpositis admonemur. Quod vero vs. 17. dictum est: Immatura licet. cett. —, eo quominus vim adversativae particulae referamus plurima illa obstant quae interea tractata sunt. Si autem id quo spectat oppositio in proximis quaerendum est, quoniam modo luctus hominum est memoratus, hoc declarat Cornelia, lugeri se vehementissime, quamvis quod omnia vitae commoda et honores experta sit nulla magni luctus causa esse videatur. Hanc enim rationem inter lugentium dolorem vitaeque commoda impetrata intercedere et Servii Tacitique quae attulimus verba declarant, et, ut alia multa mittamus, Ausonius Epitaphio XXXII:

Omnia quae longo vitae cupiuntur in aevo
Ante quater plenum consumit Anicia lustrum.
Infans lactavit, pubes et virgo adolevit.
Nupsit, concepit, peperit, iam mater obivit.
Quis mortem accuset? quis non accuset in illa?
Aetatis meritis anus est, aetate puella.

Ne quis autem quaerat, cur hoc potissimum memoretur: quis non videt maerorem lugentium mortuae eo honorificentiorem esse, quo maior eius pars suam sit iacturam dolentium quoque minorem sibi partem misericordia vindicet? — Nec difficile intellectu est, quomodo vss. 67—70. accipiendi sint:

Filia tu specimen censurae nata paternae
Fac unum teneas nos imitata virum.
Et serie fulcite genus; mihi cymba volenti
Solvitur aucturis tot mea fata meis.

Primum enim planum est non continuari id quod modo de filiis duobus dictum est; illos enim sibi superstites dicit Cornelia et vitam eorum in mortis suae felicitate numerat: filia optat ut se imitetur, id quod eodem facere consilio non potest. At quae res

sit rursus ostendit Tacitus Agric. extr. Ut enim is postquam mortem soceri sui laudavit, tanquam ut cumulet eas laudes et diuturnitatem iis tribuat, ad imitandum eum suos adhortatur — nam, Admiratione te potius, inquit, et immortalibus laudibus et si natura suppeditet imitando colamus — id filiae quoque uxorique praeceperim —: ita Cornelia ne quid in posterum desit suae mortis felicitati filiam impellit ut fide et liberis procreandis suum exemplum sequatur. Hoc enim si evenerit, non solum morientis condicio felix et laudabilis fuerit, sed mortuae etiam manebit. — Nec gravius est quod contra illud Et bene habet adfertur, quo apertum est ab optato ad eum locum transiri, quo partem certe eius optati iam expletam esse declaratur. Quod enim usque ad illud tempus omnes liberi servati sunt, eo ex parte certe illud evenit quod optat, ut in senectutem Paulli serventur. At plane similiter Statius Theb. XI. Polynicem, ubi iam victum Eteoclem totumque bellum mox feliciter confectum iri putat, haec facit dicentem vs. 557. s.

— — — bene habet; non irrita vovi,
Cerno graves oculos atque ora natantia leto —;

similiter apud Liv. VIII, 6. Torquatus, ubi Annii repentinam mortem pro fausto belli omine et quasi initio accipit, Bene habet, inquit, — sic stratas legiones Latinorum dabo, quemadmodum legatum iacentem videtis —; similiter ibidem c. 9. Decius, cum haruspex sacrificio facto iecur ei a familiari parte caesum ostendit, Manlium egregie litasse nunciat, Atqui bene habet, inquit, si a collega litatum est —, scilicet ut se ex eo quod est de eo quod futurum sit bene sperare aperiat. —

Exposuimus cur quae his annis aut Luettiohannes aut alii quos memoravi in quarto Propertii libro tum delendis tum transponendis tum disiungendis versibus immutarunt nobis non probarentur; studuimus autem quantum id fieri poterat de iis

qui reprehensi erant locis ita existimare ut non quid nobis placeret aut displiceret sed quid veteres scriptores imprimisque ipse Propertius eique similes dicerent et coniungerent quaereremus. Quod quantum nobis successerit alii iudicent: illud certe iterum iterumque affirmamus, nihil agere qui veterum libros ad sua iudicia velint conformare quaque ad illos emendandos utamur regula eam ex ipsis illis scriptoribus diligenti observatione esse repetendam. —